



IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)







Photographic
Sciences
Corporation

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503

Technical and Bibliographic Notes/Notes techniques et bibliographiques

The Institute has attempted to obtain the best original copy available for filming. Features of this copy which may be bibliographically unique, which may alter any of the images in the reproduction, or which may significantly change the usual method of filming, are checked below.

L'Institut a microfilmé le meilleur exemplaire qu'il lui a été possible de se procurer. Les détails de cet exemplaire qui sont peut-être uniques du point de vue bibliographique, qui peuvent modifier une image reproduite, ou qui peuvent exiger une modification dans la méthode normale de filmage sont indiqués ci-dessous.

- [ ] Coloured covers/ Couverture de couleur
- [ ] Covers damaged/ Couverture endommagée
- [ ] Covers restored and/or laminated/ Couverture restaurée et/ou pelliculée
- [ ] Cover title missing/ Le titre de couverture manque
- [ ] Coloured maps/ Cartes géographiques en couleur
- [ ] Coloured ink (i.e. other than blue or black)/ Encre de couleur (i.e. autre que bleue ou noire)
- [ ] Coloured plates and/or illustrations/ Planches et/ou illustrations en couleur
- [ ] Bound with other material/ Relié avec d'autres documents
- [ ] Tight binding may cause shadows or distortion along interior margin/ La reliure serrée peut causer de l'ombre ou de la distorsion le long de la marge intérieure
- [ ] Blank leaves added during restoration may appear within the text. Whenever possible, these have been omitted from filming/ Il se peut que certaines pages blanches ajoutées lors d'une restauration apparaissent dans le texte, mais, lorsque cela était possible, ces pages n'ont pas été filmées.

- [ ] Coloured pages/ Pages de couleur
- [ ] Pages damaged/ Pages endommagées
- [ ] Pages restored and/or laminated/ Pages restaurées et/ou pelliculées
- [x] Pages discoloured, stained or foxed/ Pages décolorées, tachetées ou piquées
- [ ] Pages detached/ Pages détachées
- [x] Showthrough/ Transparence
- [ ] Quality of print varies/ Qualité inégale de l'impression
- [ ] Includes supplementary material/ Comprend du matériel supplémentaire
- [ ] Only edition available/ Seule édition disponible
- [ ] Pages wholly or partially obscured by errata slips, tissues, etc., have been refilmed to ensure the best possible image/ Les pages totalement ou partiellement obscurcies par un feuillet d'errata, une pelure, etc., ont été filmées à nouveau de façon à obtenir la meilleure image possible.

- [x] Additional comments:/ Commentaires supplémentaires: Wrinkled pages may film slightly out of focus.

This item is filmed at the reduction ratio checked below/
Ce document est filmé au taux de réduction indiqué ci-dessous.

10X	12X	14X	16X	18X	20X	22X	24X	26X	28X	30X	32X
					✓						





SE

G

DI
T

ADJE

CA

CAROLI A LINNÉ
SPECIES PLANTARUM

EXHIBENTES

PLANTAS RITE COGNITAS

AD

GENERA RELATAS

CUM

DIFFERENTIIS SPECIFICIS, NOMINIBUS TRIVIALIBUS, SYNONYMIS SELECTIS, LOCIS NATALIBUS

SECUNDUM

SYSTEMA SEXUALE

DIGESTAS.

EDITIO QUARTA,
POST REICHARDIANAM QUINTA

ADJECTIS VEGETABILIBUS HUCUSQUE COGNITIS

OLIM CURANTE

CAROLO LUDOVICO WILLDENOW,

CONTINUATA A

H. F. LINK.

Tomus VI. P. I.

BEROLINI.
IMPENSIS G. C. NAUK.
1824.

INTRODUCTIO.

Classem Cryptogamiae Linnaeus in quatuor ordines divisit, Filicum scilicet, Muscorum, Algarum et Fungorum. Hosce vero ordines non sufficere ad tantam specierum copiam rite disponendam, Willdenowius in Introductione Tomi quinti hujus operis judicavit. Quindecim igitur ordines proposuit, horumque sex, quos Linnaeus ad Filices retulerat, in eo tomo quem diximus absolvit. Supersunt itaque ordines novem: Musci, Hepaticae, Homalophyllae, Algae, Lichenes, Xylomyci, Fungi, Gasteromyci et Byssi. Musci et Hepaticae et quas Homalophyllas Willdenowius dixit, sane a reliquis ordinibus sequentibus valde differunt, et Filicibus, Phanerogamisque multo magis accedunt. Contextum cellulosum habent sat explicatum, radicem a caule diversam, folia cauli rite imposita florumque masculorum primordia. Hos itaque ordines a Filicibus separare nefas esset; altera igitur pars Tomi quinti his dicata est, propediem edenda. Reliqui vero ordines, quos ad Algas, Lichenes et Fungos referunt Auctores, parum inter se differunt, et limites inter ipsos vix deprehenduntur. Sic Ver-

rucaria inter Sphaerias et Lichenes, Byssus aurea inter Algas et Fungos vegetabilia sunt intermedia et ambigua. Inveniuntur quoque vegetabilia simplicissima in ordine Lichenum, e. g. Lepraria, in ordine Algarum, e. g. Diatome seu Oscillatoria, in ordine Fungorum, e. g. Caeoma, ita ut nil intersit, an ordinem Fungorum, an Algarum, Lichenumve reliquis anteponas. Fungi itaque Algae et Lichenes in Tomo sexto et ultimo Operis Willdenowiani describentur et initium de Fungis fiet.

Fungos, Algas et Lichenes nomine generali Cryptophyta appellaverim. Pluribus conveniunt notis. Flores masculi in nullo cryptophyto repertae sunt, nec hisce partes analogae. Granula vero, quibus propagantur in omnibus fere adsunt. Cum vero non satis constet, an seminum habeant naturam, an gemmularum, termino ambiguo *sporas* dixerim. Inclusa sunt non raro folliculo aut sacculo cuidam *sporangium* dicendo, cujus membrana aut pars membranacea includens proprie *peridium* vocatur. Si peridium deficit, ob minutiem partium rarissime extricare licet an granula nuda sporae sint, an sporangia sporulis non conspicuis. Tunc granula ista propagantia *sporidia* dicuntur.

Quod hisce sporangiis sporidiisve subest, eaque fulcit ac gestat, in genere *subiculum* vocari potest, barbaro quidem at nunc sat usitato verbo. Folia enim a caule non discreta sunt, sed cum eodem confluunt, et radices nonnisi prolongationes aut apophyses hujus subiculi dicas, structura ab ipso non

distinctas. Subiculum sporangiorum in Lichenibus Acharius *thallum* vocavit, apto quidem sed accuratius definiendo vocabulo. Thallum equidem vocaverim eam partem, quae propallulando plantulam auget. Ejusmodi thallus in Algis quoque observatur, nec rationem video, cur eandem partem in alio ordine alio velis appellare verbo. In Fungis vero alius non est thallus, nisi tomentum istud flocculosum, quod longe lateque serpendo fungum extendit. Reliquae enim partes postquam explicatae fuerint, persistunt, nec novam prolem producunt. Si pars thalli floccosi decumbit, dum alia erecta sporangia sustinet, illa *hyphasma* vocari potest. Inter thallum et sporangia sporidiaque, aliae interdum positae sunt partes, illa sustinentes ac fulcientes quas in genere *sporidochia* dixerim, et quidem *stromata*, si in latitudinem potissimum expansae fuerint, *podetia* si in longitudinem potissimum productae. Sporae intra sporangium aut nudae sunt aut *sporangiolo* inclusae, quod si cylindricum est et sporas seriatas continet, *theca* dicitur. Interdum *thecula* intra thecam reperitur.

Hi sunt termini partium, quos indicare necessarium erat; superflui enim mihi videntur omnes alii, quos proposuerunt viri docti e. g. scutella, trica, orbiculus etc. Corollam enim monopetalam et polypetalam, labiatam et papilionaceam, corollam vocamus nec est, qui aliud nomen folio composito tribuere velit, quam simplici.

Praemissis itaque novem ordinibus a Willdenowio recensitis sequuntur:

X. HYPHOMYCETES. Thallus floccosus. Sporidia, sporangiaque thallo immediate imposita, aut nulla.

XI. GYMNOMYCETES. Thallus floccosus aut nullus. Sporidia sporidochio imposita aut vero aut spurio.

XII. GASTEROMYCETES. Thallus floccosus aut nullus. Sporangia libera aut podetio stromative imposita thecis nullis.

XIII. SARCOMYCETES. Thallus floccosus aut nullus. Thecae aggregatae externe impositae.

XIV. SCLEROMYCETES. Thallus floccosus aut nullus. Sporangia stromati aut podetio imposita thecas continentia.

XV. ALGAE. Thallus membranaceus aut intus gelatinosus. Sporangia thallo imposita aut immersa, saepe nulla.

XVI. LICHENES. Thallus crustaceus aut intus stuposus. Sporangia thallo imposita aut immersa, nullave.

Hi sunt ordines, in quos Cryptophyta disponere placuit. Ordines quatuor priores Fungi vocari et thallo floccoso aut nullo distingui possunt.

Moneo, me species et genera, quae notas habent ad varias divisiones pertinentes, in pluribus divisionibus citasse. Natura enim nostras divisiones non curat, variasque miscet notas.

HYPHOMYCETES.

SERIES 1.

Flocci sporidiferi decumbentes. *Sporidia* tandem inspersa.

1. SPOROTRICHUM. *Flocci* ramosi toti septati. *Sporidia* nuda (absque appendiculo) simplicia (non septata nec didyma) thallo non agglutinata.
2. CAPILLARIA. *Flocci* ramosi ad basin usque distincti Sporidia nuda simplicia.
3. ALYTOSPORIUM. *Flocci* ramosi toti septati. *Sporidia* nuda simplicia thallo agglutinata.
4. COLLETOSPORIUM. *Flocci* ramosi intricati enodes non septati, massa vesiculosa hinc inde adspersa. *Sporidia* intra massam vesiculorum simplicia.
5. COCCOTRICHUM. *Flocci* ramosi toti septati. *Sporidia* nuda simplicia extus granulata.
6. RACODIUM. *Flocci* ramosi vix septati, apicibus moniliformibus in globulos complicatis. *Sporidia* nuda simplicia.
7. ACROTHAMNIUM. *Flocci* ramosi intricati enodes nudi, apicibus tantum septatis. *Sporidia* e cellulis delapsis exorta simplicia.
8. TRICHOTHECIUM. *Flocci* ramosi toti septati. *Sporidia* nuda didyma seu septo distincta.
9. SEPEDONIUM. *Flocci* ramosi intricati toti septati. *Sporidia* nuda non septata in medio caespitis accumulata.

10. MYCOGONE. *Flocci* ramosi intricati toti septati. *Sporidia* appendiculo globoso et filiformi non septata.
11. FUSISPORIUM. *Flocci* ramosi intricati toti septati. *Sporidia* nuda non septata fusiformia aut cylindrica.
12. MENISPORA. *Flocci* intricati ramosi enodes nudi non septati. *Sporidia* inspersa cylindrica incurva.
13. GONYTRICHUM. *Flocci* intricati nodosi, ramis ramulisque e nodo enatis. *Sporidia* globosa simplicia.
14. EPOCHNIUM. *Flocci* ramosi intricati toti septati. *Sporidia* septata.
15. HELICOTRICHUM. *Flocci* ramosi intricati enodes apicibus tantum septatis. *Sporidia* spiraliter involuta subseptigera.
16. BACTRIDIUM. *Flocci* ramosi toti septati. *Sporidia* extremitatibus hyalinis, medio materia grumosa referta.
17. SCOLICOTRICHUM. *Flocci* simplices intricati non septati enodes. *Sporidia* septo unico.
18. CIRCINOTRICHUM. *Flocci* simplices circinato-intricati nudi non septati. *Sporidia* fusiformia non septata.
19. MYXOTRICHUM. *Flocci* ramosi intricati enodes. *Sporidia* materia viscosa conglutinata.

SERIES 2.

Flocci sporidiferi erecti. *Sporidia* (saltem tandem) vage inspersa.

20. ACLADIUM. *Flocci* simplices aut sub-

ramosi, omnes erecti caespitosi toti septati. *Sporidia* vage adspersa.

21. CHLORIDIUM. *Flocci* aggregati subsimplices non septati. *Sporidia* inspersa.

22. CLADOSPORIUM. *Flocci* erecti et suberecti aggregati simplices et subramosi, apicibus tantum septatis in *sporidia* dilabentibus.

23. OEDEMIUM. *Flocci* erecti simplices aut subramosi, hinc inde in *sporidia* protuberantes, demum dilabentia.

24. POLYTHRINCIUM. *Flocci* simplices moniliformes. *Sporidia* didyma seu uniseptata.

25. ARTHRINIUM. *Flocci* suberecti simplices moniliformes. *Sporidia* fusiformia floccis multoties crassiora transversim et longitudinaliter obscure septata.

26. CAMPTOUM. *Flocci* suberecti simplices septati. *Sporidia* oviformia curvata.

27. GONIOSPORIUM. *Flocci* suberecti simplices septati. *Sporidia* angulata.

28. SPOROPHLEUM. *Flocci* suberecti simplices septati. *Sporidia* fusiformia non septata.

29. CONOPLEA. *Flocci* aggregati simplices septis obscuris. *Sporidia* circa basin floccorum inspersa non septata.

30. COELOSPORIUM. *Flocci* aggregati ramosi et subramosi non septati. *Sporidia* inspersa cava.

31. HELMINTHOSPORIUM. *Flocci* aggregati sparsive simplices aut subramosi,

apicibus tantum septatis. *Sporidia* adhaerentia septata.

32. ACTINOCLADIUM. *Flocci* basi simplices apice umbellatim ramosi erecti segregati. *Sporidia* vage adspersa non septata.

33. HELICOSPORIUM. *Flocci* erecti simplices non septati. *Sporidia* spiraliter involuta septata.

SERIES 3.

Flocci sporidiferi erecti. *Sporidia* in sporisoria circa apices accumulata.

34. HAPLOTRICHUM. *Flocci* aggregati simplices toti septati. *Sporidia* simplicia non septata.

35. HAPLARIA. *Flocci* simplices et subramosi segregati toti septati. *Sporidia* ad apices et latera in sporisoria accumulata.

36. BOTRYTIS. *Flocci* sporidiferi erecti toti septati, raro simplices, plerumque vage ramosi et partiti. *Sporidia* non didyma nec septata.

37. POLYACTIS. *Flocci* sporidiferi erecti simplices aut ramosi, apice umbellatim divisi, toti septati. *Sporidia* non didyma.

38. DIPLOSPORIUM. *Flocci* sporidiferi erecti ramosi toti septati. *Sporidia* didyma seu septo transverso distincta.

39. ASPERGILLUS. *Hyphasma* decumbens. *Flocci* sporidiferi erecti plerumque simplices clavati toti septati. *Sporidia* non didyma.

40. PENICILLIUM. *Hyphasma* decumbens. *Flocci* sporidiferi erecti, apice penicillati, toti septati. *Sporidia* non didyma.

41. CORREMIUM. *Hyphasma* decumbens. *Flocci* sporidiferi erecti intricati apicibus penicillatis. *Sporidia* non didyma.

42. CAMPSOTRICHUM. *Hyphasma* nullum. *Flocci* sporidiferi erecti ramosi non septati. *Sporidia* non didyma.

43. PHYCOMYCES. *Flocci* decumbentes simplices non septati. *Sporidia* oblonga circa apicem clavatum accumulata.

SERIES 4.

Sporidia floccis innata aut adnata.

44. ACREMONIUM. *Flocci* ramosi toti septati. *Sporidia* apicibus ramorum innata non septata.

45. VERTICILLIUM. *Hyphasma* decumbens saepe obsoletum. *Flocci* sporidiferi erecti toti septati. *Sporidia* non septata apicibus ramorum innata.

46. DACTYLIUM. *Hyphasma* obsoletum. *Flocci* sporidiferi erecti, *sporidiis* terminalibus septatis.

47. STACHYLIDIUM. *Hyphasma* decumbens. *Flocci sporidiferi* erecti toti septati. *Sporidia* lateralia opposita aut verticillata non septata.

48. SPONDYLOCLADIUM. *Hyphasma* nullum. *Flocci* sporidiferi erecti simplices aut subramosi moniliformes.

Sporidia lateralia opposita aut verticillata.

SERIES 5.

Sporangia floccis innata aut adnata.

49. EUROTIUM. *Flocci* omnes decumbentes ramosi. *Sporangia* adnata dehiscentia.

50. MUCOR. *Hyphasma* decumbens saepe laniforme. *Flocci* sporangiferi erecti, ab hyphasmate saepe non discreti. *Sporangia* non rumpentia siccando persistentia.

51. SPORODINIA. *Hyphasma* effusum. *Flocci* sporangiferi erecti. *Sporangium* peridio collapso sporas sustinens.

52. SYZYGITES. *Flocci* erecti ramosi, *sporangiis* lateralibus, binis oppositis in unum coalescentibus.

53. PILOBOLUS. *Hyphasma* obsoletum. *Flocci* sporangiferi erecti sparsi inflati *sporangium* ex apice projicientes.

54. THAMNIDIUM. *Hyphasma* obsoletum. *Flocci* sparsi erecti apice sporangiferi, inferne vage ramosi ramis apice sporidiferis.

55. THELACTIS. *Flocci* erecti apice sporangiferi superne simplices, inferne et ad basin ramis verticillatis apice sporidiferis.

56. DIDYMOCRATER. *Flocci* erecti subsimplices, *sporangio* geminato, vertice ore orbiculari aperto.

57. Diamphora. *Flocci* erecti basi radicanti ramosa, medio bifidi. *Sporangium* in utroque apice laterale operculatum. *Sporae* aliae septatae ellipticae, aliae minutissimae globosae.

58. Erysibe. *Flocci* decumbentes ramosi intricati. *Sporangia* adnata, sporangiolo aut sporangiolis foeta.

59. Antennaria. *Flocci* ramosi dense intricati moniliformes. *Sporangia* sporulas moniliformes (floccorum ramulos) continentia.

60. Rhizoctonia. *Flocci* decumbentes ramosi. *Sporangia* floccis adnata intus carnosa.

SERIES 6.

Flocci toti ex articulis compositi, qui sporidia sistunt.

61. Oidium. *Flocci* erecti aut decumbentes simplices et subramosi, articulis pellucidis facillime dilabentibus.

62. Tetracolium. *Flocci* decumbentes appressi e quatuor articulis constantes.

63. Monilia. *Flocci* erecti simplices, articulis contiguis non dilabentibus.

64. Alternaria. *Flocci* erecti simplices, articulis parte filiformi distinctis.

65. Torula. *Flocci* decumbentes ramosi intricati, articulis contiguis.

66. Amphitrichum. *Flocci* decumbentes ramosi articulati, in globulos setigeros coeuntes.

SERIES 7.

Sporidia sporangiave non visa.

A. TRICHOIDEI.

Flocci seneri non parasitici.

67. HELICOMYCES. *Flocci* suberecti spiraliter intorti apice septis distincti.

68. DEMATIUM. *Flocci* decumbentes aequaliter ramosi intricati non septati.

69. OZONIUM. *Flocci* decumbentes ramosi in ramos majores minoresve appositi, tenuiores septati.

B. MEMBRANACEI.

Flocci tenues arcte adhaerentes solo cui parasitici.

70. ERINEUM. *Flocci* erecti torti simplices aut ramosi, rarissime subseptati.

LIBRI CITATI.

Achar. syn. Acharii Synopsis methodica Lichenum. Lund. 1814. 8.

Agardh syn. Alg. Scand. Agardh Synopsis Algarum Scandinaviae. Lund. 1817. 8. *spec. Alg.* Species Algarum rite cognitae. Gryphswald. 1823. P. 1. 2. 8.

Alb. et Schwein. nisk. De Albertini et de Schweinitz Conspectus fungorum in Lusatiae superioris agro niskiensi crescentium. Lips. 1805. 8. maj.

Batsch El. fung. Batsch Elenchus fungorum. Hal. 1783. 4. Continuatio I. ibd. 1786. 4. Continuatio II. ibd. 1789. 4.

Bernard. stirp. sic. Antonini Bivona Bernardi Sicularum Plantarum Cent. 1 - 3. Panorm. 1806. seq.

Bolt. fung. Bolton History of fungusses growing about Halifax. Lond. 1788 - 92. 3 Vol. Boltons Geschichte d. merkwürdigsten Pilze, a. d. Engl. m. Anmerk. v. C. L. Willdenow, Berl. 1795 - 1797. 3. Th. 8. 4. Th. m. Anm. v. Ch. G. u. Th. F. Nees. v. Esenbeck. ibd. 1820. 8.

Bull. herb. et champ. Bulliard Herbier d. l. France. Par. 1780. seqq. 600 Tabl. fol. Histoire des champignons d. l. France 1791. 2me Ed. 1812. 2 T. fol.

De Cand. fr. Lamarck et Decandolle Flore françoise. T. 1 - 4. Par. 1805. 8., nec non De Candolle Flore françoise. T. 5. ou 6. Volume. 1815. 8.

Ditm. Sturms Fl. Ditmar in Sturm's Deutschlands Flora. III. Abtheilung. Die Pilze Deutschlands. 4 Hefte. Nürnb. 1813 - 1817. 12.

Ehrenb. sylv. Ehrenberg Sylvae mycologicae Berolinenses. Berol. 1818. 4.

Fries obs. et syst. Fries Observationes mycologicae. Havn. P. 1. 1815. P. 2. 1818. 8. Ej. Systema mycologicum. Lund. V. 1. 1821. V. 2.

Greville Scot. et Er. Greville Scotish Cryptogamic Flora or coloured figures and descriptions of cryptogamic plants etc. Edinb. 1822. 8. cont. Greville on the

genus Erineum in Edinburgh Philosophical Journal 1812. January. p. 71.

Hor. ber. Horae physicae berolinenses collect. edid. Ch. G. Nees ab Esenbeck. Bonn. 1820. fol.

Humb. frib. de Humboldt Florae fribergensis specimen. Berol. 1793. 4.

Jahrb. d. Gewächsk. Jahrbücher d. Gewächskunde von Schrader, Sprengel u. Link. Berlin 1819 et 20. 3 Hefte.

Kunze et Schmidt Myk. Hfte. nec non *exs.* Kunze et Schmidt Mykologische Hefte. Leipz. Heft 1. 1817. Heft 2. nec non Deutschlands Schwämme in getrockneten Exemplaren. Leipz. 1815. 4. cont.

Link s. Lk. Obs. I. et Obs. II. Link Observationes in Ordines plantarum naturales (Fungos tantum) Diss. 1. in Magazin der Gesellschaft Naturforschender Freunde. 3. Jahrgang p. 1. Diss. 2. ibid. 7. Jahrg. p. 25.

Mart. erlang. Martius Flora cryptogamica Erlangensis. Norimb. 1817. 8.

Nees fung. Nees von Esenbeck das System der Pilze u. Schwämme. Würzb. 1816. 4.

N. Act. Ac. Caes. Leop. Nova Acta physico-medica Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae. T. 9. Erlang. 1818., in quo Nees ab Esenbeck Diss. de plantis mycetoideis et seorsim impressa. T. 10. Bonnae 1820., in quo Martii et Ehrenbergii Diss. T. 11. Bonn. 1823.

Pers. disp. et *obs.* et *syn.* et *myc.* Persooni Observationes mycologicae. P. 1. Lips. 1796. P. 2. 1797. 8. Ej. Tentamen di-

spositionis methodicae fungorum. Lips. 1797. 8. Ej. Synopsis methodica fungorum. Goett. 1801. 8. Ej. Mycologia europaea. P. 1. Erlang. 1822. 8.

Röhling fl. Deutschl. Röhling Deutschlands Flora. Frankf. a. M. 1812. 3. Th. 12.

Schlechtend. Er. v. Schlechtendal, die Gattung Erineum in Denkschriften d. Regensburger botanischen Gesellschaft. T. 3. et seorsim impressum. Regensb. 1821. 4.

Schumach. saell. Schumacher Enumeratio Plantarum in Partibus Saellandiae septentrionalis et orientalis. P. 2. Hafn. 1802.

Sowerb. fung. Sowerby english fungi or coloured figures of english fungi. Lond. 1797. seq. fol. Fasc. 1 – 29.

Verhandl. naturf. Fr. Verhandlungen der Gesellschaft naturforschender Freunde in Berlin. 1820. seq., ubi Wallrothii et Schlechtendalii Diss. de Erysibe.

Omissis, qui in praecedentibus Tomis citati sunt.

ORDO X.

HYPHOMYCETES.

SERIES I.

Flocci sporidiferi decumbentes. *Sporidia* (tandem) inspersa.

1. SPOROTRICHUM.

Flocci ramosi toti septati. *Sporidia nuda* (absque appendiculo) simplicia (non septata nec didyma) non agglutinata thallo.

Not. Sporidia e cellulis thalli constrictis et delapsis orta vidit Nees in Sp. laxo. Eodem modo et in reliquis oriri videntur.

Subgenus 1. *Flocci intricati. Sporidia non rarissima. Sporotrichum stricte sic dictum.*

Not. Flocci semper albi, color a sporidiis oritur.

Divisio 1. *Alba*, sporidiis semper albis.

Not. In his difficillime dicitur, an sit fungus proprius aut initium alius fungi. Thallus enim Gastromycetum, Sarcomycetum granula habet inspersa, sporidia mentientia.

1. SPOROTRICHUM *laxum.*

Sp. thallo tenuissimo demum effuso, floccis adpressiusculis laxis vagis, sporidiis oblongis.

Sp. laxum. *Nees fung.* 49. *f.* 45. *Link Jahrbück. d. Gewächskunde, Hft.* 1. *p.* 166. *Mart. erlang. p.* 335. *Pers. myc.* 1. *p.* 73.

Habitat in truncis putrescentibus nemorum umbrosorum Germaniae. *Lectum in Franconia* (*Nees*), *Silesia, Berol.* (*Lk.*) (*v. v.*)

Diagn. Tenui tomento instar telae araneae obducit truncos ad 2 *poll. et ultra. Flocci tenues et fugaces. Sporidia ubique at non dense tegunt floccos.*

2. SPOROTRICHUM *candidum.*

Sp. thallo tenui tandem effuso, floccis adpressiusculis laxis vagis, sporidiis globosis.

Sp. candidum. *Link Obs. I. p. 9. Jahrbüch. der Gewächsk. H. 1. p. 167. Nees fung. p. 49. f. 45. B. Mart. erlang p. 336. Pers. myc. 1. p. 73.*

Habitat in truncis putrescentibus nemorum umbrosorum Germaniae. *Lectum Rostochii, Berolini (Lk.), in Franconia (Nees, Martius) (v. v.)*

Diagn. Praecedenti valde simile, et in iisdem locis proveniens. Differt floccis densioribus praesertim vero sporidiis globosis.

3. SPOROTRICHUM *obducens.*

Sp. thallo tenui limitato, floccis adpressis densis strictis, sporidiis globosis.

Sp. obducens. *Link Jahrb. d. Gewächsk. H. 1. p. 168. Pers. myc. 1. p. 74.*

Habitat in corticibus putrescentibus aëri expositis Germaniae. *Lectum Rostochii. (v. v.)*

Diagn. Praecedenti simillimum, at flocci tam densi, ut cortex sub illis non appareat.

Not. An species distincta, an initium alius fungi?

4. SPOROTRICHUM *polysporum.*

Sp. thallo crassiusculo limitato, floccis densis, sporidiis copiosis globosis minutis.

Sp. polysporum. *Link Obs. II. p. 34. Jahrbüch. d. Gewächsk. 1. p. 168. Mart. erlang. p. 336. Pers. myc. 1. p. 74.*

Habitat in corticibus arborum Germaniae. *Lectum in Silesia, (Lk.), Berolini (Ehrenberg), in Franconia (Nees in litter) (v. v.)*

Diagn. Caespites initio parvi 1 — 2 lin. diametro, tandem confluentes, pulvinos elasticos sat crassos firmos et persistentes formantes. Color parum lutescens.

Not. Sp. laxum, candidum, obducens, polysporum seriem efficiunt a laxo ad densum transeuntem.

5. SPOROTRICHUM *nitens.*

Sp. thallo subtilissimo effuso, floccis densissime intricatis albis, sporidiis globosis minutis.

Himantia nitens. *Persoon myc.* 1. *p.* 91.

Habitat in foliis dejectis Europae. *Lectum Parisiis (Persoon) (v. s.)*

Diagn. Folia obducit instar pelliculae tenerrimae albae, quae colore albo inde nitent, floccis nudo oculo vix distinguendis. Microscopio simplici flocci subtillime intricati aut intertexti apparent Microscopio composito tandem sporidia frequenter inspersa in conspectum veniunt.

6. SPOROTRICHUM *stromateum.*

Sp. thallo crassiusculo subeffuso, floccis densissime intricatis, sporidiis globosis minutis.

Hyphasma radians. *Rebent. mspt.*

Habitat in ramulis frutieum Europae, *quos obducit. Lectum in Germania (Rebent.), Parisiis (Persoon) (v. s.)*

Diagn. Ramulos pellicula obducit multo crassiore ac praecedens. Flocci tam dense intricati ut oculos fugiant, sub microscopio simplici detegendi. Sporidia haud infrequentia.

7. SPOROTRICHUM *Pellicula.*

Sp. thallo tenuissimo effuso, floccis densissime intricatis, sporidiis globosis minutis

Habitat in caulibus exsiccatis herbarum Europae. *Lectum in caule Georginae in Alsatia (Nestler) (v. s.)*

Diagn. Caules exsiccatos pellicula obducit tenuissima alba. Flocci initio erectiusculi, tum vero tam dense intricati ut oculos fugiant. Sporidia infrequentia.

SPOROTRICHUM *Tela.*

Sp. caespite tenuissimo effuso, floccis laxiusculis sese decussantibus expansis, sporidiis globosis minutis.

V. Subgenus 2.

8. SPOROTRICHUM *fructigena.*

Sp. thallo crasso convexo limitato confluenti, floccis densis, sporidiis globosis magnis.

Sp. fructigena. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 169. *Pers. myc.* 1. *p.* 74.

Aleurisma macrosporum. *Link Obs. II. p.* 38.

Acrosporium fructigenum. *Pers. myc.* 1. *p.* 24. *sec. specimen.*

Torula fructigena. *Pers. Obs.* 1. *p.* 26. *t.* 1. *f.* 7.

Monilia fructigena. *Pers. syn. p.* 693.

Habitat in fructibus Cerasorum et aliarum arborum Europae. *Lectum inter Hamburgum et Lubeccam, nec non Berolini* (*Lk.*). *Missum a Persoonio e Gallia.* (*v. v.*)

Diagn. Caespites parvi 1—2 *lin. diametro, lin. fere crassi saepe confluentes. Flocci parum exsiccatione collabuntur et caespitulum satis firmum constituunt. Vesiculae grumosae floccis innatae et inspersae videntur.*

9. SPOROTRICHUM *fungorum.*

Sp. thallo tenui effuso, floccis laniformibus, sporidiis globosis minutis.

Sp. fungorum. *Link Jahrb. d. Gewächskunde. H.* 1. *p.* 170. *Pers. myc.* 1. *p.* 75.

Habitat in fungis putrescentibus Germaniae. *Lectum Rostochii, Berolini,* (*Lk.*) (*v. v.*)

Diagn. Fungos obtegit instar lanae subtilissimae at satis longae efflorescens. Flocci facillime exsiccando evanescunt.

10. SPOROTRICHUM *densum.*

Sp. thallo crasso limitato, floccis densis, sporidiis globosis minutis.

Sp. densum. *Link Obs. I. p.* 11. *Jahrbüch. d. Gewächskunde. Hft.* 1. *p.* 172. *Nees fung. p.* 49. *f.* 45. *C. Mart. erlang. p.* 336. *Pers. myc.* 1. *p.* 75.

Racodium Entomogena. *Pers. myc.* 1. *p.* 72.

Habitat in insectis mortuis Europae *et* Aegypti. *Lectum Rostochii* (*Ditmar*), *Berolini* (*Ehrenberg*), *prope Alexandriam Aegypti* (*idem*) (*v. v.*)

Diagn. Parvos caespites format 2—3 lin. diametro, qui saepe confluunt, firmos et elasticos, colore albo in flavescentem vergenti.

Not. Cel. Nees l. c. nec non Martius l. c. cum Sp. polysporo combinasse videntur, cum in caulibus et foliis mortuis nec non syrupis habitare dicant. Nolui tamen plantulas in tam diversis locis crescentes combinare, cum in plerisque discrimen nisi statim tamen tandem reperietur.

11. SPOROTRICHUM *inquinatum.*

Sp. thallo crassiusculo limitato floccis laxiusculis, sporidiis densis globosis lutescenti albis.

Sp. inquinatum. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 172.

Sp. merdarium album.

Habitat in merda exsiccata hominis cum Sp. scotophilo, merdario, stercorario. Lectum Berolini (Ehrenberg) (v. v.)

Diagn. Caespites format rotundos 3—4 lin. diametro, crassitie lineae, dense sporidiis obtectos.

Not. Quatuor species Sp. inquinatum, merdarium, scotophilum et stercorarium in uno eodemque loco, altera alteri apposita proveniebant, habitu simillimae. Quamvis colore valde discrepent, tamen ejusdem speciei varietates videntur. Hinc Sporotrichum merdarium album quoque vocavi.

12. SPOROTRICHUM *latebrarum.*

Sp. thallo crasso effuso, floccis densis, sporidiis copiosis globosis.

Sp. latebrarum. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 171. *Pers. myc.* 1. *p.* 75.

Pulveraria latebrarum. *Achar. syn. method. Lichenum p.* 331. *ubi vide synonym.*

Habitat in rupibus praesertim in locis umbrosis Europae. *Lectum in variis Europae locis. (v. v.)*

Diagn. In fissuris et cavitatibus rupium, ubi solis radii non penetrant, longe lateque serpit, caespites 1—2 lin. crassos constituens pulvere farinaceo instratos. Magis persistit ac reliquae species, hinc ad Lichenes relatum.

13. SPOROTRICHUM *bryophilum.*

Sp. thallo crassiusculo effuso; floccis intricatis laxiusculis, sporidiis conglomeratis copiosis globosis.

Sp. bryophilum. *Pers. myc.* 1. *p.* 78.

Habitat in Muscis in Europa. *Lectum in Gallia* (*Persoon*). (*v. s.*)

Diagn. Caespites format haud ita longe expansos cauliculos et folia Muscorum inducentes, floccis laxe intricatis praesertim versus ambitum. Sporidia farinae instar instrata sunt, in acervos majores minoresve conglomerata. Color in nostris fuscescens aut rubiginosus.

14. SPOROTRICHUM *thebaicum.*

Sp. thallo tenuissimo effuso, floccis sparsis laxis raris, sporidiis conglomeratis copiosissimis globosis.

Sp. thebaicum *Ehrenberg in litter.*

Habitat ad Esul in Aegypto *locis humidis* (*Ehrenberg*). (*v. s.*)

Diagn. In terra humida levi strata efficit tenuia oculo nudo, cum sicca fuerint, vix cognoscenda, microscopio simplici inspecta, glomerulos sparsos formantia. Sub microscopio composito apparent sporidia conglomerata copiosissima globosa, inter quae flocci parvi parum ramosi, sparsi, ita ut ad genus Aleurisma species esset referenda, si genus retinere velles.

15. SPOROTRICHUM *epiphyllum.*

Sp. thallo subeffuso, floccis tenerrimis subramosis, sporidiis densissimis copiosissimis globosis.

Habitat in herbis exsiccatis in Europa. *Prope Castelnuovo Idriae observavit Ehrenberg, in Thymo Nepeta.* (*v. s.*)

Diagn. Sequenti simile, at habitu diversum, maculas enim parvas subrotundas format, sporidiis densissime inspersis. Sub microscopio composito flocci apparent breves parum ramosi tenerrimi tenuissimi. Sporidia dense instrata globosa.

16. SPOROTRICHUM *sporulosum.*

Sp. thallo crassiusculo denso limitato, floccis rarissimis, sporidiis globosis minutis albis rubentibusve.

Sp. sporulosum. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 169. *Pers. myc.* 1. *p.* 74.
Sp. rhodochroum. *Link Jahrbüch. d. Gewächskunde Hft.* 1. *p.* 177. *Pers. myc.* 1. *p.* 81.
Aleurisma sporulosum. *Link Obs. I. p.* 17. *f.* 25.
Aleurisma inspersum. *Link Obs. II. p.* 38.
Aleurisma Bulbosorum. *Link Obs. II. p.* 38.
Aleurisma roseum. *Link Obs. II. p.* 38.
Aleurisma erubescens. *Nees fung. p.* 52. *f.* 48.

Habitat in variis corporibus putrescentibus etiam in terra turfosa in Europa. *Lectum Rostochii, Berolini, Olyssipone (Lk.); in Franconia* (Nees).

Diagn. Caespites parvi vix lin. diametro qui vero subinde confluunt, Totum quantum e sporidiis constat inaequalibus massam grumosam referentibus, ita ut stratum farinaceum appareat. Color sporidiorum magis minusve roseus.

Not. Species olim distinctas nunc combino ob colorem variabilem, qui ex albo in roseum transit. Locus, in quo invenitur, varius est.

17. SPOROTRICHUM *agaricinum.*

Sp. thallo tenuissimo effuso, floccis obsoletis, sporidiis globosis albis.
Sp. agaricinum. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 170.
Aleurisma saccharinum. *Link Obs. II. p.* 38. *excl. syn.*

Habitat in fungis putrescentibus Germaniae. *Lectum Rostochii (Lk.), Berolini (Ehrenb.) (v. v.)*

Diagn. Acervulos format initio parvos tum in crustam effusam confluentes, totos e sporidiis grumosis constantes.

Not. An sporidia alius fungi?

Species obscurae.

1. SPOROTRICHUM *chioneum.*

Sp. caespitosum laxe cohaerens subgranosum niveum.
Sp. chioneum. *Pers. myc.* 1. *p.* 76.
Habitat ad rupes aut ad terram in Gallia. *Delile.*

2. SPOROTRICHUM *canescens.*

Sp. late effusum tenuissimum canescens seu albido-pallens breve villosum.

Sp. canescens. *Pers. myc.* 1. *p.* 76.

Habitat ad ligna exsiccata.

Div. 2. *Grisea, sporidiis griseis.*

18. SPOROTRICHUM *griseum.*

Sp. thallo tenui effuso, floccis densis, sporidiis crebris globosis.

Sp. griseum. *Link Obs. I. p.* 11. *Jahrb. d. Gewächskunde. Hft.* 1. *p.* 173. *Martius erlang. p.* 336. *Pers. myc.* 1. *p.* 76.

Habitat in caulibus herbarum exsiccatis Europae, *praesertim ad radicem. Lectum in Lusitania, Rostochii* (*Lk.*), *Erlangae* (*Martius*) (*v. v.*)

Diagn. Caules ad radicem longe lateque quasi muris pelle investit floccis teneris, sporidiis farinae instar incumbentibus. Locos humidos aut aërem humidum amat, in sicco plane contabescit.

19. SPOROTRICHUM *murinum.*

Sp. thallo tenuissimo effuso, floccis divaricatis, sporidiis globosis minutis creberrimis.

Sp. murinum. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 173. *Pers. myc.* 1. *p.* 76.

Habitat in terra humida umbrosa Germaniae. *Lectum Berolini* (*Lk.*), *Lipsiae* (*Schmidt*). (*v. v.*)

Diagn. Terram longe lateque obtegit floccis elongatis tenerrimis at sporidiis uti pulvere obtectis. Facile evanescunt flocci, nonnisi cum terra subjacente colligendi, et cum hac post exsiccationem confusi. Affine praecedenti.

Species obscurae.

1. SPOROTRICHUM *epiphyllum.*

Sp. tenue laxius centextum griseum, filis ramosis.

Sp. epiphyllum. *Pers. myc.* 1. *p.* 77.

Habitat in foliis Rumicis Acetosae, pagina inferiore.

2. SPOROTRICHUM *fuliginosum.*

Sp. caespitulis parvis, aliis discretis, aliis confluentibus fuligineis, sporulis minutis subrotundis creberrimis.

Sp. fuliginosum. *Pers. myc.* 1. *p.* 77.
Ad cortices plantarum rarius. Chaillet.

Div. 3. *Flava, sporidiis flavicantibus et flavis.*

20. SPOROTRICHUM *luteo-album.*

Sp. thallo tenui effuso, floccis laxis, sporidiis globosis parvis flavescentibus.

Sp. luteo-album. *Link Obs. I. p.* 11. *Jahrbüch. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 174.

Habitat in caulibus plantarum exsiccatis Germaniae, *inprimis Umbellatarum. Lect. Rostochii* (*Lk.*) (*v. v.*)

Diagn. Flocci instar telae araneae caules investiunt at non obtegunt, sed remote sese decussant. Sporidia singulis floccis inspersa et adhaerentia minuta. Flocci facillime evanescunt.

21. SPOROTRICHUM *laetum.*

Sp. thallo tenui effuso, floccis raris, sporidiis copiosissimis globosis minutis flavissimis.

Sp. laetum. *Link Jahrbüch. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 174.

Habitat in fissuris ligni caesi Germaniae. *Lectum Rostochii* (*Lk.*) (*v. v.*)

Diagn. Dense instratum ita ut pulveris flavissimi instar lignum, ubi invenitur, contegat. Floccos ob sporidiorum copiam nonnisi ad marginem ostendit, eosque albissimos. Color diu persistit.

22. SPOROTRICHUM *flavissimum.*

Sp. thallo crasso longe effuso, floccis densis stuposis, sporidiis minutissimis globosis flavissimis, colore persistente.

Sp. flavissimum. *Link Obs. II. p.* 34. *Jahrbüch. d. Gewächsk.* 1. *p.* 175.

Habitat in asseribus putridis Germaniae. *Lectum Rostochii* (*Lk.*) (*v. v.*)

Diagn. Stupa densa asseres putrescentes longe lateque investit ob crassitiem facillime separanda. Sporidia tanta copia incumbunt, et tam parva sunt ut afflatu facillime separentur.

23. SPOROTRICHUM *vitellinum.*

Sp. thallo crasso longe effuso floccis implicatis densis stuposis, sporidiis copiosissimis globosis flavis, colore evanescente.

Sp. vitellinum. *Link Obs. I. p.* 11. *Jahrbüch. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 175. *Mart. erlang. p.* 337?

Habitat in asseribus putrescentibus Germaniae. *Lectum Rostochii (Siemssen). (v. v.)*

Diagn. Uti praecedens in trabibus aut asseribus putridis cum Xylophago occurrit longe lateque serpens, ob crassitiem facile separandum, sporidia ob copiam et teneritatem afflatu facillime dimittens. Simile est praecedenti at color pallidior multo faciliùs evanescens.

24. SPOROTRICHUM *merdarium.*

Sp. thallo crassiusculo limitato, floccis implicatis laxiusculis, sporidiis globosis flavis.

Sp. merdarium. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 176.

Sp. merdarium flavum.

Habitat in merda exsiccata in Germania. *Lectum Berolini (Ehrenberg). (v. v.)*

Diagn. Loco natali dignoscitur, nec non quod cum Sp. inquinato, stercorario et scotophilo simul repertum sit, et ita ut omnes hae species aut varietates eundem caespitem formaverint.

25. SPOROTRICHUM *sparsum.*

Sp. thallo minuto crassiusculo limitato, floccis rarissimis, sporidiis globosis minutis flavis.

Sp. sparsum. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 175.

Aleurisma flavissimum. *Link Obs. II. p.* 38.

Habitat in cortice arborum Lusitaniae. *Lectum in Serra de Gerez. (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Granula minuta in cortice arborum inter muscos sparsa constituit vix magnitudine capitis aciculae parum confluentes. Color flavus permanens.

26. SPOROTRICHUM *Pulveraria.*

Sp. thallo crasso effuso, floccis implicatis rariusculis, sporidiis copiosissimis globosis flavis, colore persistente.

Sp. Pulveraria. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p* 176.

Pulveraria Chlorina. *Achar. syn. Lichen. p.* 329. *ubi vide synonyma.*

Habitat in rupibus totius Europae. (*v. v.*)

Diagn. In rupibus umbrosis Muscos Lichenesque suppositos investit, colore intense flavo. Ob sporidiorum copiam persistentiam et cohaerentiam, quippe quae flatu non disperguntur ad Lichenes relatum est. At flocci immixti microscopio deteguntur.

Not. Disquirendum est an Sp. Pulveraria et latebrarum e thallo exoriantur, uti reliqua Sporotricha.

Div. 4. *Fuscescentia, sporidiis fuscis.*

27. SPOROTRICHUM *fusco-album.*

Sp. thallo crassiusculo effuso, floccis laniformibus laxis, sporidiis crebris subglobosis magnis.

Sp. fusco-album. *Link Jahrb. d. Gewächsk. H.* 1. *p.* 177. *Pers. myc.* 1. *p.* 77.

Sp. oosporum. *Ehrenberg sylv. mycolog. berol. p.* 10. 22. *Pers. myc.* 1. *p.* 77.

Habitat in corticibus arborum putrescentium Germaniae. *Lectum in Silesia (Link.), Grunewald prope Berolinum (Ehrenberg.) (v. v.)*

Diagn. Caespites longe effusos format medio fuscos, ambitu albo ; thallum ibi sporidiis non inspersum. Sporidia magna in nostris specimiuibus ad formam globosam magis accedunt, in Ehrenbergianis ad oblongam, unde species diversas credidimus. Sporidia materia grumosa saepe referta rumpi videntur.

28. SPOROTRICHUM *punctiforme.*

Sp. thallo limitato parvo, floccis implexis, sporidiis globosis copiosis e caeruleo-fuscis.

Aegerita punctiformis. *de Cand. fr.* 2. *p.* 72.
Habitat in bulbis radicibusque plantarum, quae aqua sola nutriuntur, in Europa. *Lectum in bulbo Hyacinthi in Gallia (Decandolle).*
Diagn. Format tubercula parva e coeruleo-fusca, magnitudine capitis aciculae. Sub microscopio haec tubercula videntur composita e globulis sphaericis copiosissimis, adhaerentibus floccis ramosis teneris (de Candolle).

SPOROTRICHUM *bryophilum.*

Sp. thallo crassiusculo effuso, floccis intricatis laxiusculis, sporidiis conglomeratis copiosis globosis demum fuscescentibus. *v. div.* 1.

Species obscurae.

1. SPOROTRICHUM *hypnophilum.*

Sp. opacum obscure pallidum subcompactum, sporulis grumosis albidis.
Sp hypnophilum. *Pers. myc.* 1. *p.* 78.
Autumno passim ad Hypna majora invenitur, cespitulos complanatos, non equidem magnos sistit.

2. SPOROTRICHUM *lapidum.*

Sp. laxius contextum spadiceum, filis nonnullis crassioribus.
Sp. lapidum. *Pers. myc.* 1. *p.* 78.
Semel inveni (circa Parisios) ad lapides. A priore differt colore nitidiore et textura minus compacta. Sporulae subrotundae parvae et copiosiores. Ozoniis quadantenus affine.

Div. 5. *Rosea, sporidiis roseis.*

29. SPOROTRICHUM *ollare.*

Sp. thallo tenui effuso, floccis laniformibus elevatis, sporidiis versus discum coacervatis globosis.
Sp. ollare. *Pers. myc.* 1. *p.* 81.
Sp. roseum. *Link Obs. II. p.* 35. *Jahrbüch. d. Gewächskunde. Hft.* 1. *p.* 178.
Habitat ad muros et ollas figulinas, in quibus plantae vegetant, in Germania. *Lect. Rostochii (Lk.) (v. v.)*

Diagn. Ollas murosque lana alba longissime effusa investit, facile evanescenti. In disco glomeruli sporidiorum tandem absque thallo ollae aut lapidi incumbunt, magis persistentes at colore non minus fugaci. Lana ad 2 et 4 lin. elevatur, praesertim loco obscuro.

Not. Nomen Persoonianum nunc praefero.

30. SPOROTRICHUM *vesicarum.*

Sp. thallo tenui effuso, floccis laniformibus depressiusculis, sporidiis versus discum coacervatis globosis.

Sp. vesicarum. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 180. *Pers. myc.* 1. *p.* 81.

Habitat in vesicis, quibus vitra obtecta sunt praeparata anatomica alcoholi immersa continentia. Lectum Berolini (Rudolphi). (v. v.)

Diagn. Lanam albam constituit lineam crassam late effusam. Versus discum acervi sporidiorum globosi occurrunt ½ lin. diametro, primum albi, tum rubri, tandem colore rubro evanescente iterum albi.

Not. Vix characteribus a praecedente distinguitur, attamen habitu et loco natali tam diversum ut combinare vix liceat.

31. SPOROTRICHUM *pannorum.*

Sp. thallo tenui effuso, floccis laxis, sporidiis copiosis subglobosis.

Habitat in panno putrescente in Germania. *Lectum Berolini (Ehrenberg).*

Diagn. A praecedentibus thallo tenui differt, in panno longe lateque serpente facillime evanescente. Sporidia hinc inde coacervata conspiciuntur, at minores formant acervulos ac in praecedentibus.

Not. Num Sp. Pannorum, vesicarum et ollare combinanda in unam speciem?

32. SPOROTRICHUM *stercorarium.*

Sp. thallo crassiusculo limitato, floccis raris, sporidiis copiosissimis globosis.

Sp. stercorarium. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 178. *Pers. myc.* 1. *p.* 80.

Sp. merdarium roseum.

Habitat in merda exsiccata in Germania. *Lectum Berolini (Ehrenberg). (v. v.)*

Diagn. Dignoscitur loco natali et sociis uti Sp. merdarium, scotophilum etc.

SPOROTRICHUM *sporulosum.*

Sp. thallo crassiusculo denso limitato, floccis rarissimis, sporidiis globosis minutis albis rubentibusve. *v. div.* 1.

33. SPOROTRICHUM *cylindrosporum.*

Sp. thallo crassiusculo limitato, floccis appressis intricatis, sporidiis cylindricis longis roseis.

Alytosporium roseum. *Ehrenb. Sylv. p.* 11. 24.

Habitat in ramulis mortuis Germaniae. *Lectum prope Berolinum (Ehrenberg). (v. s.)*

Diagn. Caespites format globosos parvos roseos ambitu albos. Sub microscopio sporidiis longissimis sat distinctum.

Species obscurae.

1. SPOROTRICHUM *anthochroum.*

Sp. subcompactum amoene roseo-rubrum, ambitu albicante.

Sp. anthochroum. *Pers. myc.* 1. *p.* 79.

Thelaephora anthochroa. *Pers. syn. p.* 576.

Rarissime ad ligna cariosa inveni. Cespitem vix ½ unc. latum efficit, colore ut in [illegible] *dicro flore cobaltino distinctum.*

2. SPOROTRICHUM *roseum.*

Sp. expansum roseum dein grumosum [illegible]eum.

Sp. roseum. *Pers. myc.* 1. *p.* 80.

Hyphasma roseum. *Rebent. neom. p.* 397. *t.* 4. *f.* 20.

Ad vetustas molarum januas. Primo ut cespitulus provenit: demum maculas ad unc. latas repraesentat (Rebent.).

3. SPOROTRICHUM *muscorum.*

Sp. ex pallido-rubescens, sat late effusum villis intricatis, sporulis globosis copiosis.

Sp. muscorum. *Pers. myc.* 1. *p.* 81.
Passim supra cespites muscosos effusum invenitur, nonnumquam ultra unc. latum. Affine quoque videtur Trichodermatibus imo et Isariae roseae.

Div. 6. *Rubra, sporidiis rubris et aurantiacis.*

34. SPOROTRICHUM *aureum.*

Sp. thallo crassiusculo limitato, floccis crispis, sporidiis copiosis globosis croceis.
Sp. aureum. *Link Obs. I. p.* 11. *Jahrbüch. d. Gewächskunde. Hft.* 1. *p.* 178.
Mucor aurantius. *Bulliard champ. p.* 103. *herb. fr. t.* 504. *f.* 5.
Aegerita aurantia. *de Cand. fr.* 2. *p.* 72.
Habitat in corticibus arborum putrescentium Europae. *Lectum Olyssipone et Rostochii* (*Lk.*), *in Gallia* (*Bulliard*). (*v. v.*)
Diagn. In corticibus longe serpit, colore in margine albo ob defectum sporidiorum, ceterum ruberrimo ob sporidia dense incumbentia. Color diu persistens; sporidia permanent, flocci evanescunt.

35. SPOROTRICHUM *mycophilum.*

Sp. thallo tenui subeffuso, floccis crispis, sporidiis copiosissimis globosis rubris.
Sp. mycophilum. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 179. *Pers. myc.* 1. *p.* 80.
Habitat in fungis exsiccatis Germaniae *et* Lusitaniae. *Lectum prope Olyssiponem* (*Lk.*) *Berolini* (*Ehrenberg*), *Lipsiae* (*Schmidt*). (*v. v.*)
Diagn. In fungis maioribus praesertim per rimas et sulcos serpit, acervulos formans demum confluentes. Margo ob defectum sporidiorum albus facile evanescens. Color sporidiorum persistens.

36. SPOROTRICHUM *lateritium.*

Sp. thallo tenui effuso demum confluenti, floccis laxis, sporidiis copiosis minimis suboblongis lateritiis.
Sp. lateritium. *Ehrenberg sylv. mycol. ber. p.* 11. 22.

Habitat in ramulis foliisque tiliaceis viridibus coacervatis demum putridis nec non in Urticae Cardnique caule in Germania. *Lectum Berolini (Ehrenb.) cum Trichothecio roseo. (v. v.)*

Diagn. Caespites format non longe effusos margine albos ob sporidiorum defectum; ceterum ob sporidiorum copiam coloratos. Facile evanescit. Valde affine Sp. aureo et forte non diversum.

37. SPOROTRICHUM *scotophilum.*

Sp. thallo crassiusculo limitato floccis implicatis laxiusculis, sporidiis globosis rubris.

Sp. scotophilum. *Link Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 180. *Pers myc.* 1. *p.* 80.

Sp. merdarium rubrum.

Habitat in merda hominis exsiccata in Germania. *Lectum Berolini (Ehrenb.). (v. v)*

Diagn. Noscitur ex loco et sociis Sp. merdario, inquinato, stercorario.

Div. 7. Virescentia, sporidiis virescentibus.

38. SPOROTRICHUM *virescens.*

Sp. thallo tenui effuso, floccis raris, sporidiis copiosissimis globosis obscure viridibus.

Sp. virescens. *Link Obs. I. p.* 11. *excl. syn. Jahrb. d. Gewächsk. Hft.* 1. *p.* 100. *Mart. erlang. p.* 336.

Cladosporium virescens. *Pers. myc.* 1. *p.* 14.

Dematium virescens. *Pers. syn. p.* 698. (*sec. auctor.*) *Albert. et Schwein. p.* 368.

Habitat in corticibus arborum putrescentium Germaniae. *Lectum in Silesia, Rostochii (Lk.) Lusat. (Albert.) (v. s.)*

Diagn. In arborum truncis putrescentibus longe lateque serpit, ligno firmiter adhaerens ut quasi crusta appareat, colore obscure virescente, sporidiis materia grumosa immixtis. Diu persistit.

Not. Dubia mihi species, quam nonnisi siccam et senescentem vidi, fortasse ex alio fungo e. g. Cladosporio herbarum orta.

39. SPOROTRICHUM *chlorinum.*

Sp. thallo crassiusculo effuso, floccis densis mollissimis, sporidiis copiosis glomeratis globosis flavo-viridibus.

Sp. chlorinum. *Link Obs. II. p.* 35. *Jahrbüch. d. Gewächsk.* 1. *p.* 181. *Pers. myc.* 1. *p* 79.

Habitat in foliis dejectis sylvarum Germaniae. *Lectum in Silesia* (*Lk*). (*v. v.*)

Diagn. Folia dejecta tomento denso investit et connectit. Sporidia hinc inde dense incumbunt in acervos grumosos conglomerata et floccos tingunt colore amoene viridi diu persistente. Caeterum ubi sporidia deficiunt tomentum griseum apparet.

40. SPOROTRICHUM *flavo-virens.*

Sp. thallo tenui effuso, floccis laxis rariusculis, sporidiis copiosissimis glomeratis globosis flavo-viridibus.

Habitat in truncis putridis in Germania. *Lectum in Lusatia.* (*v. s.*)

Diagn. Quod nomine Sistotrematis aeruginosi Albert. et Schwein. olim accepi erat Sporotrichum non solum truncos sed quoque Sistotrematis reliquias obtegens, pulvere glomerato et compacto conspicuum floccis raris sparsis. Denuo observandum.

41. SPOROTRICHUM *bombacinum.*

Sp. thallo tenui effuso, floccis densissime in telam intricatis, sporidiis globosis minutis e livido-flavescentibus.

Sp. bombacinum. *Link Obs. II. p.* 36.

Athelia bombacina. *Pers. myc.* 1. *p.* 85.

Habitat in foliis dejectis in Germania, *quae obtegit. Lect. Rostochii* (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn. A reliquis speciebus facile densissimo contextu distinguitur, qui telae instar tenerae folia obducit. Color junioris flavo-virescens, adultioris lividus. Sporidia hinc inde sparsa. Plantula denuo observanda, an perfecta sit.

Species obscura.

1. SPOROTRICHUM *olivaceum.*

Sp. villo laxius contexto aeruginoso, sporulis medio congestis lutescente - olivaceis.

Sp. olivaceum. *Pers. myc.* 1. *p.* 79.

His in regionibus unicum quidem inveni specimen parvum lapidem ad terram obducens sed integrum, et uti pellicula a lapide facile detrahi potest.

Div. 8. *Nigra, sporidiis nigris.*

42. SPOROTRICHUM *parietum.*

Sp thallo tenui effuso, floccis laxis vagis, sporidiis versus discum collectis globosis.

Sp. parietum. *Link Obs. II. p.* 181. *Jahrb. d. Gewächskunde. Hft.* 1. *p.* 181. *Pers. myc.* 1. *p.* 82.

Habitat in parietibus nuper calce inductis. Lectum Vratislaviae (Lk.) (v. v.)

Diagn. Lanae mollis instar late parietes investit humidos humorem augens. Flocci facile evanescunt, tum acervi sporidiorum calci incumbentium permanent colore diu persistente.

43. SPOROTRICHUM *calcigena.*

Sp. thallo tenui effuso, floccis undique tectis sporidiis globosis.

Sp. calcigenum. *Link Obs. II. p.* 35. *Jahrbüch. d. Gewächsk.* 1. *p.* 182. *Pers. myc.* 1. *p.* 82.

Habitat in parietibus calce illitis humidis Germaniae. *Lectum Vratislaviae (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Latas plagas occupat in cubiculis recenter calce illitis, quorum parietes inde toti nigri apparent. Flocci parieti arcte adpressi non efflorescentes uti lana ut in specie praecedente.

44. SPOROTRICHUM *lyococcon.*

Sp. thallo crassiusculo effuso, sporidiis in acervos raros collectis aqua diffluentibus globosis.

Sp. lyococcon. *Ehrenb. Sylv. mycol. Berol. p.* 11. 22. *Pers. myc.* 1. *p.* 82.

Habitat in fructibus putrescentibus Germaniae. *Lect. Berolini (Ehrenberg).* (*v. v.*)

Diagn. Caespes stuposus pruna armeniaca cum aliis fungis investiens, colore grisescenti seu lutescenti albo granulis nigris hinc inde inspersis nudo oculo conspicuis. Sub microscopio granula haecce addita aqua diffluunt in sporidia, quae subinde truncata videntur, non raro didyma.

45. SPOROTRICHUM *collae.*

Sp. thallo crasso effuso, floccis implicatis stuposis, acervis sporidiorum nigris, sporidiis globosis.

Sp. collae. *Link Jahrb. d. Gewächsk. H.* 1. *p.* 182. *Pers. myc.* 1. *p.* 82.

Collarium nigrispermum. *Link Obs. I. p.* 15. *Nees fung. p.* 47. *f.* 42. *Martius erlang. p.* 339.

Habitat in colla sicca in Germania. *Lectum Rostochii (Siemssen) in Franconia (Nees, Martius).* (*v. v.*)

Diagn. Late serpit in colla sicca si acetum additum fuerit, monente Martio, lin. crassum candidum. Granula nigra e sporidiis composita oculis nudis conspici possunt.

Not. Sporotrichum chartaceum. Pers. myc. 1. *p.* 83. *est Oidium chartaceum.*

Subgen. 2. *Flocci expansi. Byssocladium.*

Not. Regulari floccorum expansione saepe centrifuga dignoscuntur.

46. SPOROTRICHUM *fenestrale.*

Sp. thallo tenuissimo effuso, floccis serpentibus albis, sporidiis globosis demum griseis.

Sp. fenestrale. *Ditmar in Sturms Flor. f.* 1. *t.* 1.

Byssocladium fenestrale. *Link Obs. II.* 36. *Nees fung. p.* 50. *f.* 47. *Mart. erlang. p.* 337.

Conferva fenestralis. *Roth. Catal. bot.* 2. *p.* 191.

Habitat in vitris impuris Germaniae *frequens.* (*v. v.*)

Diagn. Flocci albi et diaphani tenerrimi oculo nudo vix conspicui arcte vitro adhaerent et maculas exhibent demum fuscescenti griseas centro obscuriore. Sporidia enim primo alba, tum fuscescentia, tandem

grisea floccos undique contegunt hisque alienum inducunt colorem.

Not. 1. *Vitra eligit non purissima sed sordibus e corporibus organicis emanantibus levissime contecta, nec tamen valde impura.*

Not. 2. *Floccorum et sporidiorum indole ab Algis longissime recedit.*

47. SPOROTRICHUM *byssinum.*

Sp. thallo tenuissimo effuso, floccis centrifugis apicem versus expansis saepe penicilliformibus albis, sporidiis globosis minutis concoloribus.

Byssocladium candidum. *Link Obs. II. p.* 36.

Himantia plumosa. *Pers. myc.* 1. *p.* 90. *Schumach. saell.* 2. *p.* 444.

Byssus candida. *de Cand. fr.* 2. *p.* 66.

Habitat in foliis dejectis arborum non solum Germaniae, *sed totius quoque* Europae. (*v. s.*)

Diagn. Folia dejecta eleganti tela investit, floccis ad basin crassioribus tum ramificatione tenerioribus, plures ramorum ramificationes sistens fere ex eodem centro oriundas. Sporidia saepe copiosissima inspersa instar pulveris albi conglobata.

48. SPOROTRICHUM *Tela*

Sp. thallo tenuissimo effuso, floccis sese decussantibus expansis albis sporidiis globosis minutis concoloribus.

Himantia Tela. *Pers. myc.* 1. *p.* 91.

Habitat in foliis dejectis Europae. *Lecta in Germania, Parisiis* (*Persoon*). (*v. s.*)

Diagn. Valde affinis praecedenti et forsan varietas, at flocci undique ramosi et ita sese decussantes ut telam araneae optime sistunt, non versus apices in penicillos abeuntes. Sporidia copiosa instar pulveris floccis inspersa.

49. SPOROTRICHUM *macularum.*

Sp. thallo tenuissimo effuso, floccis rectiusculis ad basin usque distinctis albis, sporidiis globosis minutis concoloribus.

Himantia pulchella. *Persoon myc.* 1. *p.* 91.

Habitat in foliis Rosae, quorum maculas fuscas rubrasve investit. Lectum Parisiis (Persoon). (v. s.)

Diagn. Caespites format parvos tam tenues ut nudo oculo vix nisi dealbatio maculae appareat. Sub microscopio simplici floccos sistit ad basin usque discretos rectiusculos breves albos epidermidi foliorum subjacenti arctissime adhaerentes. Sub microscopio composito demum sporidia parva globosa in conspectum veniunt.

2. CAPILLARIA.

Flocci ramosi ad basin usque distincti non septati. *Sporidia* nuda (absque appendiculo) simplicia (non septata.)

Not. Genus omittere nolui, quamquam obscurum, mihi parum cognitum.

Div. 1. Floccis vagis.

1. CAPILLARIA *nigra.*

C. thallo tenuissimo effuso, floccis rectiusculis nigris, sporidiis minutis globosis concoloribus.

C. nigra. *Pers. myc.* 1. *p.* 50.

Habitat in foliis delapsis (Vaccinii Vitis idaeae) in Europa *(Persoon.)*

Diagn. Oculo nudo folia denigrata apparent. Sub microscopio simplici flocci dignoscuntur inter se remoti ita ut angulos magnos intercipiunt, breves, rigidiusculi, epidermidi foliorum arcte adpressi. Sub microscopio composito granula dignoscuntur minuta (Persoon).

2. CAPILLARIA *Arundinis.*

C. thallo effuso, floccis ramosissimis densis fusconigricantibus.

C. Arundinis. *Pers. myc.* 1. *p.* 51.

Habitat in interiore culmorum Arundinis Phragmitidis pagina.

Diagn. Oculo inermi ut maculae nigrae 4 — 5 lin. latae apparent (Persoon).

3. CAPILLARIA *Phytolaccae.*

C. floccis ramosissimis elongatis divergentibus flexuosis badiis.

C. Phytolaccae. *Pers. myc.* 1. *p.* 51.

Habitat in interiore et ad dissepimenta caulis Phytolaccae vulgaris (Persoon).

4. CAPILLARIA *badia.*

C. floccis ramosis vagis dilute badiis.

C badia. *Pers. myc.* 1. *p.* 51.

Habitat in foliis siccis Fagi sylvaticae.

Diagn. Flocci parvi sat longi, minus ramosi (Persoon).

5. CAPILLARIA *epidermidis.*

C. thallo effuso, floccis intricato-ramosissimis sordide fuscis.

Habitat rarius supra epidermidem ramorum (Persoon).

6. CAPILLARIA *grammica.*

C. floccis nigris brevissimis horsum vorsum flexis simplicibus ramosisque.

C. grammica. *Pers. myc.* 1. *p.* 51.

Habitat in foliis aridis praesertim quercinis.

Diagn. Lineolis similis.

Not. An Vegetabile? (Persoon).

Div. 2. *Flocci e centro exeuntes. Actinonema. Pers.*

7. CAPILLARIA *Crataegi.*

C thallo suborbiculari, floccis ubique distinctis fusco-nigris

Actinonema Crataegi. *Pers. myc.* 1. *p.* 52.

Habitat supra folia adhuc viridia Crataegi terminalis prope Neuchatel (Persoon).

Diagn Ab initio maculam solummodo efficit fuscam (saltem eam ad nostrum fungillum pertinere puto) dein flocci apparent distincti. E longinquo Xylonae similis, sed febrillae non in crustam continuam unitae sunt, etiam non adsunt thecae nec sporulae (Persoon).

8. CAPILLARIA *caulincola.*

C. floccis fuscescentibus medio in maculam confluentibus.

Actinonema caulincola. *Pers. myc.* 1. *p.* 52.

Habitat rarissime in caulibus Herbarum (umbelliferarum).

Diagn. Duas ad tres lin. latum, quasi pingue.

Not. Non videtur esse thallus Sphaeriae cujusdam (Persoon).

3. ALYTOSPORIUM.

Flocci ramosi toti septati. *Sporidia* nuda (absque appendiculo) simplicia (non septata nec didyma) agglutinata thallo.

Not. Ad Sarcomycetas transeunt et cum initiis earum floccosis conveniunt. Vesiculae sporidiis immixtae sunt ut haec vix discernas. A Sporotricho floccis coloratis valde recedunt.

1. ALYTOSPORIUM *fuscum.*

A. thallo crassiusculo effuso, floccis densis fuscis, sporidiis subglobosis minutis.

Sporotrichum fuscum. *Link Obs. I. p.* 10. *II. p.* 35. *Mart erlang. p.* 337. *Pers. myc. eur.* 1. *p.* 78.

Sporotrichum badium. *Link Obs. I. p.* 10. *II. p.* 35.

Sporotrichum stuposum. *Link Obs. I. p.* 10 *II. p.* 35.

Sporotrichum fuscum. *Pers. myc.* 1. *p.* 78.

Corticium fuscum. *Pers. myc.* 1. *p.* 38.

Thelephora vinosa. *Pers. syn. p.* 578.

Habitat in corticibus arborum Europae. *Lectum Olyssipone, Rostochii (Lk.), in Gallia (Persoon). (v. v.)*

Diagn. Tomenti instar sat densi truncos emortuos humidos longe lateque investit colore diu persistente.

Not. Sp. fuscum, Sp. badium et Sp. stuposum nonnisi colore minus magisque obscuro differunt. Apices quoque floccorum modo crassiores modo tenuiores modo longius modo brevius septati apparent.

2. ALYTOSPORIUM *fulvum.*

Sp. thallo tenui effuso, floccis fulvis, sporidiis subglobosis minutis.

Sporotrichum fulvum. *Link Obs. p.* 10. *II. p.* 35.

Byssus rufa. *Schumach. saell.* 2. *p.* 448.

Habitat in corticibus arborum Germaniae. *Lectum Rostochii (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Tomentum tam tenue efficit ut membranam referat. Color dilutior ac in praecedentibus.

Not. Fortassis initium Thelephorae.

3. ALYTOSPORIUM *croceum.*

Sp thallo crassiusculo, floccis parce ramosis croceis, sporidiis ovalibus creberrimis minutis concoloribus.

Sporotrichum croceum. *Kunze Mycolog. Hfte* 1. *p.* 81.

Ozonium croceum. *Pers. myc.* 1. *p.* 86.

Himantia sulphurea. *Pers. syn. p.* 703.

Habitat ad radices herbarum, muscorum in Thuringia *(Reichenbach). (v. s.)*

Diagn. Praecedenti affine sed caespites crassiores, manifeste tomentosi. Sporidia creberrima.

4. ALYTOSPORIUM *psittacinum.*

Sp. thallo crassiusculo effuso, floccis teneris flavoviridibus

Sporotrichum psittacinum. *Link Obs. II. p.* 35. *Pers. myc.* 1. *p.* 79.

Habitat ad ramos dejectos in Lusitania. *Lectum Olyssipone (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Tomenti instar tenuioris lignum obducit colore facile distinguendum. Tandem color evanuit. An initium alius fungi?

5. ALYTOSPORIUM *murinum.*

Sp. thallo crassiuscule effuso, floccis teneris cinereis.

Sp. murinum *Link Obs. II. p.* 35.

Habitat ad arborum truncos putrescentes in Lusitania. *Lectum Olyssipone. (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Late investit arbores putrescentes praesertim circa radicem. Diutius persistit ac praecedens.

4. COLLETOSPORIUM.

Flocci ramosi intricati enodes non septati massa vesiculosa hinc inde inspersa. *Sporidia* intra massam vesiculosam simplicia.

1. COLLETOSPORIUM *umbrinum.*

C. thallo crasso effuso, floccis dense intricatis badiis, sporidiis raris globosis.

Habitat in cortice arborum putrescentium, pagina interiore, in Germania. *Lectum in Comitatu Glacensi* (*Lk.*)

Diagn. In pagina interiore corticis Quercus tomentum format longe lateque effusum densissimum, superficie fere laevigata, floccis ob massam vesiculosam arcte cohaerentibus. Sub microscopio flocci tenues apparent transparentes, hinc inde massa vesiculosa adspersi, majore minoreve copia e vesiculis formae irregularis composita, intra quam latent sporidia globosa parva, quae aqua massae adfusa natantia conspiciuntur.

2. COLLETOSPORIUM *atrum.*

C. thallo crassiusculo effuso, floccis dense intricatis atris, sporidiis raris globosis.

Habitat in ramis dejectis in Germania. *Lectum Berolini* (*Lk.*).

Diagn. Tomentum efficit non ita crassum nec ita densum ac praecedentis speciei ramulos externe saepe totos investiens. Sub microscopio composito flocci apparent praecedentis speciei simillimi transparentes tenues. Massa vesiculosa inspersa non tam magnas plagas occupat, quam in praecedente specie. Sporidia rara huic immixta. Cave ne cum Dematio nec cum Trichostromato quodam confundas.

5. COCCOTRICHUM.

Flocci ramosi toti septati. *Sporidia* nuda (absque appendiculo) simplicia (non septata nec didyma) opaca granulata.

Not. Flocci colorati uti sporidia.

1. COCCOTRICHUM *Martii.*

C. thallo limitato confluente, floccis minutissimis nigro-cinerascentibus, sporidiis maximis inaequalibus.

Aleurisma granulosum. *Mart. erl. p.* 335.

Sporotrichum granulosum. *Jahrb. d. Gewächskunde Hft.* [illegible] 83.

Habitat [illegible] *oribus putrescentibus* Germaniae. *Lect. Erlangae in Sporotricho denso (hyphasmate Penicillii glauci?) e Syrupo Diacodii enato. (Martius).*

Diagn. Densis caespitibus obducit. Sporidia floccis tenuissimis septatis ramosis et connexis magna copia inspersa, obscura irregulariter ovata, aqua affusa ab hypha (floccis) vehementer secedentia et fundum petentia. Singulare vegetabile atque sporidiis granulosis (in charactere Martius vocat granuliformia) a reliquis hujus ordinis recedens.

6. RACODIUM.

Flocci ramosi vix septati, apicibus moniliformibus in globulos complicatis. *Sporidia* nuda simplicia opaca.

1. RACODIUM *cellare.*

R floccis mollissimis atris, sporidiis globosis concoloribus.

R. cellare. *Pers. syn. p.* 701. *myc.* 1. *p.* 67. *Albert. et Schwein. nisk. p.* 372. *Link Obs. I. p.* 19. *Nees fung. p.* 73. *f.* 70. *Mart. erlang. p.* 356.

Byssus etc. *Dill. Hist. Musc. t.* 1. *f.* 12.

Habitat in cellis vinariis, ubi dolia longe lateque investit, frequens in Germania. *(v. v.)*

Diagn. Tomentum format expansum, vix solo cuidam firme adnascens sed libere impositum. Granula saepe creberrima inspersa sunt facile delabentia seminis Panici miliacei magnitudine atra. Sub microscopio composito apparent flocci valde ramosi tenues fusco transparentes, septis si adsunt valde obscuris. Granula si franguntur e floccis constant atris septatis et moniliformibus, articulis secedentibus non solum globulis sed quoque reliquo thallo sporidiorum instar

inspersis. Massa magis pellucida crustacea et quasi cornea at fragilis floccos globulorum hinc inde combinat, e vesiculis confluentibus ut videtur composita.

Not. Racodium? Mycobanche Pers. myc. est Aspergillus Mycobanche, R. fodinum ej. est Mucor fodinus. Racodium vulgare ej. est Antennaria pinophila, Racodium entomogena ej. est Sporotrichum densum. Reliquae species aut ad Dematium pertinent, aut ibidem recensendae, donec melius innotuerint.

2. RACODIUM *aterrimum.*

R. floccis rigidis atronitentibus, sporidiis subovalibus pellucidis.

R. aterrimum. *Ehrenb. sylv. p.* 10. 22.

Habitat in truncis pineis putridis Germaniae. *Lect. Berolini im Grunewalde (Ehrenb). (v. v.)*

Diagn. Thallus effusus, flocci breves laxe intricati.

3. RACODIUM *rubiginosum.*

R. floccis mollibus dense contextis rubiginosis.

R. rubiginosum. *Fries obs.* 2. *p.* 370.

Byssus intertexta. *de Cand. fr.* 2. *p.* 68.

Habitat ad ligna vetusta rarius in Europa.

Verissima Racodii species (Fries).

7. ACROTHAMNIUM.

Flocci ramosi intricati enodes nudi apicibus tantum septatis. *Sporidia* e cellulis dilapsis exorta simplicia.

1. ACROTHAMNIUM *violaceum.*

A. thallo effuso crassiusculo, floccis violaceis adscendentibus apice incrassatis sporidigeris.

Acrothamnium violaceum. *Nees fung. p.* 71. *f.* 74. *Pers. myc.* 1. *p.* 25.

Sporotrichum muscorum. *Link Obs. II. p.* 35.

Byssus globulifera. *Schumach. saell.* 2. *p.* 447.

Habitat ad radices arborum inter musces in Germania. *Lectum in Franconia (Nees). (v. s.)*

Diagn. Elegans plantula ad sequentem familiam transiens aut ad altiorem ordinem potius apicibus quasi thecigeris. Tomentum densum efficit aetate fuscum, versus medium, ob floccos adscendentes quasi tuberculatum. Flocci in ambitu laxiores. Thallus tandem sporidiis inspersus, quae Neesius vidit ex articulis apicum dilapsis exorta. Plantulam recentem non vidi.

8. TRICHOTHECIUM.

Flocci ramosi intricati toti septati. *Sporidia* nuda (absque appendiculo) didyma seu septo distincta.

Not. Valde affine Sporotricho et habitus idem, differt sporidiis didymis.

1. TRICHOTHECIUM *roseum.*

Tr. thallo crassiusculo limitato, floccis intricatis densis, sporidiis oblongis roseis.

Tr. roseum. *Link Obs.* 1. *p.* 16. *f.* 27. *Nees fung. p.* 46. *f.* 47. *Mart. erlang. p.* 338.

Trichoderma roseum. *Pers. syn. p.* 731. *de Cand. fr.* 6. *p.* 13.

Habitat in plantis mortuis, in lignis et asseribus putrescentibus, in excrementis animalium exsiccatis, in humo etc. totius Europae. *Lectum in Lusitania* (*Lk.*), *Gallia* (*de Candolle*), *Germania frequens.* (*v. v.*)

Diagn. Caespites format pulvini instar elevatos lineae aut duarum diametro, tum confluentes et majores, colore primum albo tum roseo. Adultum saepe latas plagas occupat sat crassum.

9. SEPEDONIUM.

Flocci ramosi intricati toti septati. *Sporidia* nuda (absque appendiculo), non septata in medio caespitis accumulata.

Not. Flocci in medio caespitis evanescunt, tunc sporidia solo incumbunt eidem firmiter adhaerentia. Hac ratione Sepedonium, Mycogone, Epochnium, Fusisporium seriem propriam fere constituunt.

1. SEPEDONIUM *mycophilum.*

S. thallo crassiusculo effuso, floccis lanaeformibus albis, sporidiis copiosissimis subglobosis flavis.

S. mycophilum. *Link Obs. I. p.* 16. *Nees fung. p.* 44. *f.* 38. *Mart. erlang. p.* 334.

Uredo mycophila. *Pers. syn. p.* 274. *de Cand. fr.* 2. *p.* 230.

Habitat in fungis putrescentibus Europae. *Lectum in Germania, Gallia. (v. v.)*

Diagn. Fungos tabescentes, Boletos praesertim invadit, tum quoque Agaricos et Hydna, prima aetate floccis lanaeformibus albis copiosis superficiei Fungi incumbentibus. Tum sporidia accedunt parva subglobosa flava, quae in dies magis magisque augentur et totum fungum pulvere flavo replent. Tandem flocci evanescunt, et nil nisi pulvis flavus superest.

2. SEPEDONIUM *caseorum.*

S. thallo tenuissimo effuso, floccis albis, sporidiis subglobosis rubris.

Oidium rubens. *Link Obs. II. p.* 37.

Mucor crustaceus. *Bulliard champ. p.* 100. *herb. t.* 504. *f.* 2.

Aegerita crustacea. *de Cand. fr.* 2. *p.* 72.

Habitat in caseis helveticis et belgicis. (v. v.)

Diagn. Caseos totos quantos saepe pulvere rubro inficit, floccis prima aetate tantum conspiciendis, sporidiis persistentibus, quibus exterior casei crusta obtecta esse solet. Ubi rimae adsunt, altius penetrant nec tamen caseum exedunt.

10. MYCOGONE.

Flocci ramosi intricati toti septati. *Sporidia* appendiculo globoso et filiformi non septata.

1. MYCOGONE *rosea.*

M. thallo tenui effuso, floccis lanaeformibus albis, sporidiis rubris.

M. rosea. *Link Obs. I. p.* 16. *Nees fung. p.* 44.

M. incarnata. *Pers. myc.* 1. *p.* 26.

Habitat in fungis putrescentibus Germaniae. *Lectum Rostochii (Lk. Ditmar). (v. v.)*

Diagn. Simili modo oritur ac Sepedonium mycophilum, sed minus augetur, minus alte in fungum penetrat et multo rarius est.

2. MYCOGONE *cervina.*

M. thallo tenui effuso, floccis lanaeformibus albis, sporidiis flavo-fuscis.

M. cervina. *Ditmar in Sturms Abbild. d. Pilze. H. 4. p. 107. t. 53. Pers. myc. 1. p. 26.*

Habitat in fungis Germaniae. *Lectum prope Rostochium in Peziza Macropode Pers. (Ditmar.) (v. s.)*

Diagn. A praecedente nonnisi colore differt. Obducit fungos integros pulvere pellis cervinae colore eosque obruit et enecat. Lana alba in ambitu conspicua.

Not. M. alba. Pers. myc. 1. p. 76. paucis indicata verbis species dubia est.

11. FUSISPORIUM.

Flocci ramosi intricati toti septati. *Sporidia* nuda (absque appendiculo) non septata fusiformia aut cylindrica.

Not. Est Fusidium accedente thallo aut potius Fusidium est Fusisporium thallo deficiente.

1. FUSISPORIUM *aurantiacum.*

F. thallo tenui effuso, floccis lanaeformibus albis, sporidiis aurantiacis conglobatis.

F. aurantiacum. *Link Obs. I. p. 17. Nees fung. p. 46. f. 40. B. Martius erlang. p. 338.*

Habitat in caulibus herbarum in corticibus fructuum duris Germaniae. *Lectum Rostochii (Lk.), Erlang. (Nees Mart.) (v. v.)*

Diagn. Late serpit in culmis Zeae, cortice Peponum etc. hinc inde acervos parvos rubros sporidiorum efficiens, duriusculos lana cinctos, qua evanescente acervi soli supersunt. Sporidia tenuia utrinque acuta.

2. FUSISPORIUM *roseum.*

F. thallo tenui effuso, floccis lanaeformibus albis, sporidiis sparsis roseis.

Habitat in culmis Graminum majorum exsiccatis. Lect. in Alsatia (Nestler). (v. s.)

Diagn. Lanam format tenuem late expansam, versus ambitum candidam versus medium magis minusve rubentem. Ubi rubens est lana, sub microscopio composito sporidia ostendit copiosissima tenuia utrinque acuta ibique ob transparentiam decolora. Aetate color obscurior fit et sordidus.

3. FUSISPORIUM *candidum.*

F. thallo crassiusculo effuso, floccis lanaeformibus albis, sporidiis sparsis albis utrinque obtusatis.

Habitat in amentis dejectis variarum arborum. Lectum Berolini (Ehrenberg). (v. v.)

Diagn. In amentis exsiccatis fasciculos floccorum format parvos sparsos albissimos frequentes hinc inde parum expansos. Sporidia ubique inspersa breviora ac in praecedentibus utrinque obtusata. An sporidia septata?

12. MENISPORA.

Flocci intricati ramosi enodes nudi non septati. *Sporidia* inspersa cylindrica incurva.

1. MENISPORA *glauca.*

M. thallo effuso laniformi, flōccis griseo-glaucis.

M. glauca. *Pers. myc.* 1. *p.* 32.

Camptosporium glaucum. *Ehrenb. sylv. p.* 11.

Habitat in cortice arborum putrescentium pagina interiore in Germania. *Lectum Berolini (Thiergarten Link) circa Parisios (Persoon). (v. v.)*

Diagn. Tomentum efficit in pagina interiore corticum non late effusum lin. fere crassum, non densum, floccis laxiuscule intertextis recentibus glaucis siccatis nigrescentibus. Sub microscopio flocci tenues transparentes at non diaphani, septis si adsunt, valde obscuris. Sporidia magna copia inspersa tenuissima floccis crassitie et transparentia similia arcuata arcu parum curvato.

Not. Menisporae nomen Persoonianum melius mihi videtur, quam Camptosporium olim huic generi a me tributum.

13. GONYTRICHUM.

Flocci intricati nodosi ramis ramulisque e nodis enatis. *Sporidia* globosa simplicia.

1. GONYTRICHUM *caesium.*

G. thallo pulvinato, floccis dense intricatis fusco-caesiis.

Gonytrichum caesium. *Nees N. Act. Leop. Car.* 9. *p.* 244. *t.* 5. *f.* 14. *Pers. myc.* 1. *p.* 19.

Habitat in ramulis dejectis quercinis in Germania. *Lectum in Francouia (prope Sickershausen Nees).*

Diagn. In ramis locis humidis putrescentibus ad epidermidem caespitulos hemisphaerico-pulvinatos, diametro lin. 1 — 2 *lin. nunc solitarios, saepe tamen confluentes format, in statu recenti caesio cinereo rare super inductos, quo demum evanescente floccorum color e fusco olivaceus apparet. Flocci tenues rigidi obscuri flexuosi ramosissimi non septati, per intervalla regularia nodis globosis flocco duplo crassioribus hispidulis praediti, e quorum singulo ramuli solitarii* 2 — 5 *lin. subulati inaequales stricti patentes oriuntur. Ramuli longiores iterum nodosi, breviores simplices et hi praeserzim in apice sporidiis (an sporidiorum globo) praediti sunt. Aqua adfusa sporidia minutissima globosa pellucida maxima copia diffluunt.*

14. EPOCHNIUM.

Flocci ramosi intricati toti septati. *Sporidia* septata.

1. EPOCHNIUM *monilioides.*

E. thallo tenuissimo effuso, floccis tenerrimis laxis albis, sporidiis oblongis nigris.

E. monilioides. *Link Obs.* 1. *p.* 16. *f.* 28. *Nees fung. p.* 43. *f.* 40. *Mart. erlang. p.* 338.

Monilia fructigena. *Schumach. saell.* 2. *p.* 339.

Habitat in pyris maturis et quidem in varietate beurré blanc dicta, in Germania *frequens.* (*v. v.*)

Diagn. Instar telae araneae floccis tenuissimis vix conspicuis fructum obducit. Acervi sporidiorum

nigri superficiei pyri sat firmiter adhaerent. Septa obscurioris coloris in exsiccatis difficillime conspicuntur.

2. EPOCHNIUM *virescens.*

E. thallo effuso, floccis densiusculis albis, sporidiis viridibus.

E. virescens. *Martius erlang. p.* 338.

Habitat in fructibus putrescentibus Germaniae. *Lect. in fructu Pruni Armeniacae.* (*M.*)

Not. Plantulam non vidi, nec plura addidit Auctor.

15. HELICOTRICHUM.

Flocci ramosi intricati enodes nudi apicibus tantum septatis. *Sporidia* spiraliter involuta subseptigera.

1. HELICOTRICHUM *pulvinatum.*

H. thallo pulvinato, floccis mollibus olivaceis.

H. pulvinatum. *Nees N. Act. Ac. Leopold. Car.* 9. *p.* 246. *t.* 5. *f.* 15.

Helicosporium pulvinatum. *Pers. myc.* 1. *p.* 19.

Habitat hyeme pluviosa in truncis arborum Germaniae. *Lectum in Franconia* (*Mainbernheimer Wäldchen Nees*). (*v. s.*)

Diagn. Thallus 2—4 *lin. latus vix* $\frac{1}{2}$ *lin. altus ambitu irregularis subrotundus bombycinus tener sordide olivaceus cum tinctura lutei coloris e fundo emergentis. Sub lente flocci in conspectum veniunt valde contexti tenuissimi tum quoque vix fili aranearum retis crassitie, et lutei quid fundo, ut pollinis subtilissimi stratum incumbens. Sub Microscopio composito, aqua addita, floccorum apices eriguntur rigentque et sporidia creberrima ut mox aquae guttulam turbent diffugiunt pellucidae, iis Helmisporii vegeti duplo fere minora, minus regularia tardiusque altero fine hiantia, ut primo intuitu Sporotrichum credas. Flocci diversae crassitiei, sed omnes pertenues opaci, annulis obscurioribus, vix dimidia diametri floccorum longitudine distantibus, divisi ramis ramulis patentibus.* (*N.*)

16. BACTRIDIUM.

Flocci ramosi toti septati. *Sporidia* extremitatibus hyalinis, medio materia grumosa referto.

Not. Plantae sat evolutae et perfectae, Diatomis (animalibus) praesertim similes. Sporidia floccis primo statu adnascuntur tum solvuntur et dispersa incumbunt. Juniore quoque statu tota quanta materia grumosa referta sunt, extremitatibus hyalinis postea apparentibus. E duplici membrana sporidia constructa videntur, exteriore ad extremitates tantum retracta.

1. BACTRIDIUM *flavum.*

B. thallo tenuissimo, floccis raris albis, sporidiis aggregatis oblongis utrinque obtusis flavis.

B. flavum. *Kunze et Schmidt Mycol. Hfte* 1. *p.* 5. *f.* 2. *Nees N. Act. Acad. Leopold. Carol.* 9. *p.* 234. *t.* 1. *f.* 3.

Tremella mucoroides. *Bulliard champ. p.* 228. *herb. fr. t.* 490. *f.* 4.

Habitat in cortice arborum Germaniae. *Lecta Lipsiae* (*Kunze*). (*v. s*)

Diagn. Caespites parvos format magnitudine 1—2 *lin. diametro raro confluentes. Color flavus persistit, a materia grumosa sporidiorum oriundus.*

2. BACTRIDIUM *candidum.*

B. thallo tenui, floccis densiusculis strictis albis, sporidiis oblongis utrinque obtusis albis.

B. candidum. *Kunze et Schmidt Mycol. Hfte* 1. *p.* 73. *f.* 20.

Habitat in cortice arborum Germaniae. *Lectum Lipsiae* (*Schmidt*). (*v. s.*)

Diagn. Caespites format parvos rotundos lin. diametro vix confluentes. Thallus facilius conspicitur in hac quam in praecedente. Sporidia manifeste apicibus floccorum innata.

3. BACTRIDIUM *carneum.*

B. caespite tenui, floccis rariusculis strictis albis, sporidiis oblongis subcylindricis utrinque acutis carneis.

B. carneum. *Kunze et Schmidt Mycol. Hfte* 1. *p.* 74. *f.* 21. *Nees N. Act. Ac. Leop. Car.* 9. *p.* 234. *t.* 2. *f.* 21.

Habitat in truncis subputridis, locis humidis sylvaticis Helvetiae. *Lectum prope Basileam* (*Th. Fr. L. Nees*). (*v. s.*)

Diagn. Caespites format in cortice arborum lin. diametro raro confluentes. Color exsiccatione in griseo-album transit.

17. SCOLICOTRICHUM.

Flocci simplices intricati non septati nudi. *Sporidia* septo unico.

1. SCOLICOTRICHUM *virescens.*

Sc. thallo effuso tenuissimo, floccis e flavo-virescentibus, sporidiis oblongis.

Sc. virescens. *Kunze et Schmidt Mycol. Hfte* 1. *p.* 10. *f.* 6.

Habitat in ramis dejectis Pruni Padi in Lusatia *superiore* (*Kunze*). (*v. s.*)

Diagn. Ramulos extus tenuissimo et laxo tomento investit. Sub microscopio composito flocci vermiformes satis longi laxe intricati crassi flexi diaphani apice acutiusculi saepe parum uncinati. Membrana floccum constituens tam crassa est ut canalem crassitie superet, hinc duplex adesse videtur membrana, praesertim si canalis aquam resorpserit quod saepe fieri solet. Sporidia parva opaca, septo in medio sporidii.

18. CIRCINOTRICHUM.

Flocci simplices circinato-intricati nudi non septati. *Sporidia fusiformia* simplicia.

1. CIRCINOTRICHUM *maculiforme.*

C. thallo tenui effuso, floccis e nigro olivaceis.

C. maculiforme. *Nees fung. Uebersicht p.* 19. *t.* 5. *f.* 66. *a. Mart. erlang. p.* 349. *Pers. myc.* 1. *p.* 19.

Habitat in foliis dejectis in Germania. *Lectum in folio Quercus in Franconia* (*Nees*). (*v. s.*)

Diagn. Tomentum tenue format late expansum in foliis. Flocci sub microscopio composito tenues circinati et implexi opaci sericeo nitore splendentes. Sporidia in aqua fugacia pellucida.

19. MYXOTRICHUM.

Flocci ramosi intricati. *Sporidia* materia viscosa conglutinata.

1. MYXOTRICHUM *chartarum.*

C. floccis caespitosis decumbentibus divaricate ramosis, erectis uncinatis demum dilabentibus omnibus olivaceis nigrisque.

M. chartarum. *Kunze in Kunze et Schmidt Mycol. Hfte* 2. *p.* 110.

Oncidium chartarum. *Nees in Kunze et Schmidt Mycol. Hfte.* 2. *p.* 64.

Habitat in charta communi alba semidestructa in Belgio (*Nees*).

Diagn. Junior caespitulos format dense congestos olivaceos in maculas effusas variae magnitudinis et molis confluentes. Si in hoc statu microscopio composito subjicitur, flocci conspiciuntur nigri, opaci, ramulis brevibus crebris divergentibus rectis dense contextis, ex quibus floccorum apices robustiores et unci in modum curvati emergunt; inter hos floccos granula occurrunt primo quidem adspectu e floccorum ramulis tenuissimis dense contextis formata, ea autem adfusa aqua mox diffluentia, quo facto in sporidia subglobosa minutissima semipellucida aquae guttulam turbantia mutantur. Aetate provectiori fungillus colorem in atrum vertitur ac totus in sporidia globosa, immixtis paucissimis floccis dilabitur (*Nees*).

2. MYXOTRICHUM *murorum.*

M. floccis omnibus semperque decumbentibus atris persistentibus, sporidiorum acervis flavicantibus.

M. murorum. *Kunze in Kunze et Schmidt Mycol. Hfte* 2. *p.* 110.

Habitat in muris cellarum in Germania. *Lectum Lipsiae (Thamm test. Kunze).*

Diagn. Indumentum format atrum late expansum. Sub microscopio composito apparent flocci decumbentes intricati, furcatim divisi obscuri. His insident globuli frequentes flavicantes. Si globuli comprimuntur facile conspicitur, compositos esse e materia viscosa quae continet sporidia copiosa parva, subsphaerica. Textura floccorum ut in praeced. at flocci erecti uncinati non apparuere (Kunze).

SERIES II.

Flocci sporidiferi erecti. *Sporidia* (saltem tandem) sparsae inspersa.

20. ACLADIUM.

Flocci simplices aut subramosi omnes erecti caespitosi toti septati. *Sporidia* floccis adspersa.

1. ACLADIUM *conspersum.*

A. caespitulis confluentibus, floccis e luteo albis, sporidiis ovalibus hinc inde adspersis.

A. conspersum. *Link Obs. I. p.* 9. *f.* 13. *Nees fung. p.* 54. *f.* 50. *Mart. erlang. p.* 341. *Pers. myc.* 1. *p.* 28.

Habitat in truncis putrescentibus Europae. *Lectum Olyssipone, Rostochii (Lk.) Erlang. (Mart.). (v. v.)*

Diagn. Caespites format initio parvos tum late expansos. Sporidia magna. Diu persistit, antequam flocci collabuntur.

2. ACLADIUM *microspermum.*

A. caespitulis effusis, floccis albis, sporidiis globosis minutis ubique inspersis.

A. microspermum. *Link Obs. I. p.* 10.

Habitat in truncis putrescentibus Germaniae. *Lectum Rostochii (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Caespitulos parvos sistit in truncis putrescentibus floccis minutis tenerrimis facillime evanescentibus.

Not. Acladium capitatum nunc sejungo Haplotrichi nomine A. roseum Ehrenb. ab Aspergillo roseo non differt.

21. CHLORIDIUM.

Flocci aggregati subsimplices non septati. *Sporidia* semper inspersa.

1. CHLORIDIUM *viride.*

Chl. thallo effuso tenuissimo, floccis laete viridibus, sporidiis globosis concoloribus.

Chl. viride. *Link Obs. I.* 1. *p.* 11.

Chl. dispersum. *Nees fung. p.* 66. *f.* 64. *Mart. erlang. p.* 350.

Dematium asserculorum. *Pers. myc.* 1. *p.* 15.

Habitat in Ligno putrescenti in Germania. *Lectum Rostochii (Ditmar) in Franconia (Nees). (v. v.)*

Diagn. Thallus tenuissimus late expansus colore laete viridi in recente, flavo-viridi in sicco. Sub microscopio composito flocci apparent nudis oculis inconspicui teretes acuti laxe positi. Sporidia copiosa conglomerata dense imposita in aqua fugientia.

Not. Chl. dispersum Nees mihi non diversum videtur. Thallus dispersus. Color magis obscurus.

2. CHLORIDIUM *griseum.*

Chl. thallo effuso, floccis nigro-fuscis, sporidiis copiosissimis cylindricis albo-griseis.

Chl. griseum. *Ehrenberg sylv. myc. p.* 17. 23.

Dematium griseum. *Pers. myc.* 1. *p.* 15.

Habitat in Truncis Alni glutinosae putrescentibus. Lectum Berolini (Ehrenberg). (v. v.)

Diagn. Thallus tenuissime lignum investit. Flocci subulati rigidi obscuri, colore in basi dilutiore. Sporidia copiosissima parva pellucida.

Not. 1. *Sporidia Ehrenbergia visa sunt ramos articulatos fingere basi fibrarum adnatos. An igitur ad Helminthosporium referenda plantula?*

Not. 2. *Chloridia Persoonius male Dematiis (Cladosporiis) immiscuit Mycol. eor.* 1. *p.* 15.

22. CLADOSPORIUM.

Flocci erecti et suberecti aggregati simplices et subramosi, apicibus tantum septatis, articulis in *sporidia* dilabentibus.

1. CLADOSPORIUM *herbarum.*

Cl. thallo effuso, floccis dense aggregatis obscure viridibus arcte adnatis, sporidiis globosis.

Cl. herbarum. *Link Obs. II. p.* 37. *Nees fung. p.* 67. *f.* 64. *B. Mart. erlang. p.* 351.

Acladium herbarum. *Link Obs. I. p.* 10.

Dematium herbarum. *Pers. syn. p.* 699. *myc.* 1. *p.* 15.

Dematium epiphyllum? *Pers. syn. p.* 695. *myc. p.* 16. *Nees fung. p.* 67. *Mart. erlang. p.* 350.

Dematium graminum? *Pers. myc.* 1. *p.* 16.

Habitat in caulibus foliisque plantarum exsiccatis, in asseribus antiquis, in fungis et aliis partibus vegetabilium exsiccatis et pluviae humorique diu expositis, in tota Europa. (*v. v.*)

Diagn. Thallus magis minusque effusus, dum recens est tomentum densum efficit coloris obscure viridis fere olivacei. Vetustus non nisi maculam efficit. Sub microscopio composito flocci conspiciuntur dense aggregati simplices aut ramo uno alterove brevi, basi continui septis nullis at transparentes, apices septis paucis distincti, et hinc in articulos constricti, qui decidunt. Sporidia haud frequenter incumbunt parva globosa. Flocci pluvia depressi curvantur et decumbunt, tandem pereunt, collabuntur et nil nisi massa grumosa remanet. Tunc est Fumago Pers. Color magis minusque obscurus est, interdum fere niger ut itaque plantula varietates plurimas formet.

2. CLADOSPORIUM *solutum.*

Cl. thallo effuso, floccis dense aggregatis obscure viridibus leviter adnatis, sporidiis globosis et ovalibus concoloribus.

Habitat in caulibus Hibisci erculenti siccis prope Sjut (Aegypti) Octobri (Ehrenberg). (*v. s.*)

Diagn. Valde affine praecedenti et forte varietas, differt tamen floccis longioribus tenuioribus, facillime a caulibus, quibus innascuntur, separandi.

3. CLADOSPORIUM *atrum.*

Cl. thallo effuso, floccis dense aggregatis atris, sporidiis globosis rariusculis.

Cl. atrum. *Link Obs. II. p.* 38.

Habitat in caulibus plantarum exsiccatis in Germania. *Lectum Lipsiae* (*Schmidt*), *Vratislaviae*, *Berolini* (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn Praecedenti simillimum, sed colore atro distinctum. Thallus paullo crassior lin. crassus. Flocci stricti basi non septati, apice inflexi quasi ramosi.

4. CLADOSPORIUM *polysporum.*

Cl. thallo effuso, floccis dense aggregatis atris, sporidiis globosis copiosissimis.

Habitat in ligno putrescente in Germania. *Lectum Berolini* (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn. Lignum putrescens longe lateque investit a praecedente pulvere nigro inquinante sat diversum. Sub microscopio composito flocci breviores ac in pr. vix ramosi dilabentes in sporidia majora ac in praecedente.

5. CLADOSPORIUM *fuscum.*

Cl. thallo effuso, floccis dense aggregatis fuscis apice ramosis, sporidiis globosis.

Habitat in caulibus plantarum exsiccatis in Germania. *Lectum in caulibus Rosae Lipsiae* (*Kunze*) *Berolini* (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn. Tomentum format fuscum durum late caules plantarum investiens. Sub microscopio composito flocci dense aggregati transparentes ut solent in hoc genere continui, apice multo magis ramosi ac in praecedentibus luculentius septati. Saepissime flocci decumbunt a pluvia uti videtur prostrati. Sporidia hinc inde adspersa.

Not. Cladosporium aureum. Link Obs. II. p. 38. *omisi, cum plantula evanuerit, nec descriptio mihi supersit.*

6. CLADOSPORIUM *Fumago.*

Cl. thallo effuso, floccis aggregatis atris hinc inde ramosis, sporidiis globosis conglomeratis concoloribus.

Habitat in foliorum morbosorum pagina superiore in variis speciebus. Frequens in Caldariis Europae. (*v. v.*)

Diagn. Tomentum tenerum aterrimum efficit in pagina foliorum superiore initio facile solvendum, tum arcte adhaerens. Flocci plerique ramosi, ramo uno alterove pellucidi septo nullo; extremitates ramorum longa saepe serie in globulos secedentes. Sporidia maxima copia inspersa, hinc inde in glomerulos conglomerata, ut pulveris instar non avolent.

Not. Fumago Pers. ex hoc Cladosporio saepe oritur.

6. CLADOSPORIUM *tenerrimum.*

Cl. thallo effuso, floccis dense aggregatis albis, sporidiis globosis.

Habitat in cortice arborum putrescentium in Germania. *Lectum Berolini (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Caespitulos parvos rotundos format sparsos habitu Acladii conspersi. Flocci nudis oculis vix distinguuntur. Sub microscopio composito apparent flocci longiusculi tenuissimi pellucidi rarius ramo uno alterove basi non septati. Versus apices hinc inde septati evadunt et globosi. Rarius sporidia delapsa vidi. Ob colorem et teneritatem a praecedentibus alienum.

Not. Cladosporia Dematia vocat Pers. myc. 1. p. 15. et huic generi sporidia seriata tribuit, quae nisi casu orta, nunquam vidimus. Chloridia Dematiis. immiscet. D. fuscum, grumosum, epiphyllum graminum hujus auctoris mihi dubia. D. articulatum Pers. est Coelosporium fruticulosum, D. verticillatum Pers. est Spondylocladium fumosum, D. abietinum ej. Pers. syn. est Alga. D. virescens ej. est Sporotrichum virescens. D. strigosum Pers. syn. est Alga uti D. petraeum ibd. Igrota D. ollare, cinnabarinum, violarum, impressum, Hypocastani, salicinum Pers. syn. cfr. de D. ollari, cinnabarino, impresso, Hypocastani, salicino et variis aliis dubiis Albert. et Schwein. nisk. p. 376. seqq.

Species obscurae.

1. CLADOSPORIUM *fuscatum.*

Cl. acervulis variis tenuioribus submollibus dilute fuscis.

Dematium fuscum. *Pers. myc.* 1. *p.* 16.
Non raro occurrit in caulibus herbarum exsiccatis. Acervuli sparsi, parvuli, nec caespitem nec crustam efformant.

2. CLADOSPORIUM *grumosum.*

Cl. acervulis densis sparsis minutis grumosis fusco-nigricantibus.
Dematium grumosum. *Pers. myc.* 1. *p.* 16.
Cum priore, cujus forsitan est plantula junior, sed acervuli compacti sunt et colore obscuriores.

3. CLADOSPORIUM *epiphyllum.*

Cl. acervulis distantibus in orbem dispositis nigrescentibus.
Dematium epiphyllum. *Pers. syn. p.* 695. *myc.* 1. *p.* 16. *Albert. et Schwein. p.* 366.
β. Chionanthi, subcrustaceum fil. brevissimis.
Satis frequens in variarum arborum foliis siccis, praesertim populneis.

4. CLADOSPORIUM *graminum.*

Cl sparsum fasciculatum minutum griseo-nigrescens, filis distinctis laeviusculis.
Dematium graminum. *Pers. myc.* 1. *p.* 16.
Autumno sat vulgare in foliis et culmis aridis graminum.

23. OEDEMIUM.

Flocci erecti simplices aut subramosi, hinc inde in *sporidia* protuberantes, demum dilabentia.

1. OEDEMIUM *atrum.*

O floccis dense aggregatis atris sporidiis globosis concoloribus.
Habitat in cortice arborum putrescentium in Germania. *Lectum Rostochii* (*Lk.*). (*v. v.*)
Diagn. Cladosporio atro simillimum apparet, floccis nudo oculo vix conspicuis. Sub microscopio composito vero flocci apparent atri quidem at pellucidi distincte

septati, ramulo subinde uno alterove. Hinc inde flocci protuberant in globulos diametro duplo majores ac flocci, atri quidem at diaphani. Hi globuli frequenter quoque floccis adspersi conspiciuntur, uti videtur, rupta membrana flocci prodeuntes.

24. POLYTHRINCIUM.

Flocci simplices moniliformes. *Sporidia* didyma seu uniseptata.

1. POLYTHRINCIUM *Trifolii.*

P. floccis fasciculatis, fasciculis aggregatis, floccis fusco-nigris, sporidiis ovalibus concoloribus.

P. Trifolii. *Schmidt et Kunze Mycol. Hfte* 1. *p.* 13. *f.* 8.

Habitat in foliis Trifoliorum (praesertim pratensis, alpestris, fragiferi) in Germania. *Lectum circa Lipsiam (Kze.), Berolin. (Ehrenb. Lk.). (v v.)*

Diagn In pagina inferiore foliorum viridium apparent maculae nigrae margine flavo. Constant e caespitulis parvis non confluentibus pseudostromati granuloso impositis, quod e floccis dilapsis ortum videtur. Flocci rigidi semidiaphani, folio arcte adnati, superne crassiores articulo ultimo ovali, reliquis subquadrangularibus. Sporidia pseudostromati inspersa circa bases floccorum floccis concolora semidiaphana.

25. ARTHRINIUM.

Flocci suberecti simplices moniliformes. *Sporidia* fusiformia floccis multoties crassiora transversim et longitudinaliter obscure septata.

1. ARTHRINIUM *Caricicola.*

A. floccis dense caespitosis pellucidis, sporidiis fuscis obscuris.

A. Caricicola. *Schmidt et Kunze Mycol. Hfte* 1. *p.* 9. *f.* 4.

Xyloma caricinum. *Fries obs.* 2. *p.* 361. *t.* 7. *f.* 4. *a. b. Auctore teste.*

Habitat in foliis siccis Caricis montanae et ciliatae in Germania. *Lectum circa Berolinum* (*Kunze*, *Lk.*) (*v. v.*)

Diagn. Fasciculos format parvos granorum Milii magnitudine fuscos arcte folio in utraque pagina adnatos, in quo floccos nudo oculo minime conspicere licet. Sub microscopio composito apparent flocci teneri moniliformes decolores. Inter hos creberrime occurrunt sporidia aut sporangia floccorum fere longitudine at multo crassiora utrinque attenuata ovaca fusca, septis transversis obsoletis, adulta vero habent lineam obscuram longitudinalem dissepimentum sistens ad cujus latera sporae parvae globosae appositae videntur. Singularis plantula ob sporidiorum magnitudinem seu potius crassitiem.

26. CAMPTOUM.

Flocci suberecti simplices septati. *Sporidia* oviformia curvata.

1. CAMPTOUM *curvatum.*

C. floccis parvis tenuissimis fuscis, sporidiis creberrimis minutissimis concoloribus.

Arthrinium curvatum. *Kunze et Schmidt Mycol. Hefte* 2. *p.* 103.

Habitat in foliis aridis Scirpi sylvatici in Germania. *Lectum circa Lipsiam* (*Lehmann test. Kunze.*)

Diagn. Caespituli eodem colore, forma ac caespituli Arthrinii Caricicolae at frequentiores, et interdum confluentes. Superficies a sporidiis inspersis velutina apparet. Sub microscopio composito apparent flocci rarissimi, tenerrimi, articulis longioribus et dissepimentis brevioribus ac in Arthrinio. Caespituli undique obtecti sunt sporidiis obscuris fere ovalibus at curvatis inaequilateris magna copia adspersis (*Kunze*).

27. GONIOSPORIUM.

Flocci suberecti simplices septati. *Sporidia* angulata.

1. GONIOSPORIUM *puccinioides.*

G. floccis elongatis tenuibus fuscis, sporidiis copiosis minutis concoloribus.

Arthrinium puccinioides. *Kunze et Schmidt Mycol. Hefte* 2. *p.* 103.

Conoplea puccinioides. *de Cand. fl. fr.* 2. *p.* 75. *Leman Dict. d. scienc. nat.* 10. *p.* 289.

Xyloma caricinum. *Fries obs. myc.* 2. *p.* 361. *t.* 7. *f.* 4. *a. b.*

Habitat in foliis aridis Caricum in Europa. *Lectum in Gallia (Leman), Germania (Kunze), Suecia (Fries).*

Diagn. Caespitulos format caespitulis Arthrinii Caricicolae similes, magnitudine verios plerumque parvos ¼ *lin. diametro, non raro confluentes. Superficie velutina non glabra. Flocci sat longi, frequentiores ac in Camptoo, rariores ac in Arthrinio, articuli longiores ac in utroque. Sporidia obscura copiosa tri-tetragona (Kunze.)*

28. SPOROPHLEUM.

Elocci suberecti simplices septati. *Sporidia fusiformia* simplicia (non septata).

1. SPOROPHLEUM *gramineum.*

Sp. floccis tenuibus breviusculis fuscis, sporidiis minutis copiosissimis concoloribus.

Sp. gramineum. *Nees mspt. cfr. Sprengel Grundzüge d wissenschaftl. Pflanzenkunde t.* 5. *f.* 5.

Arthrinium sporophleum. *Kunze et Schmidt Mycol. Hfte* 2. *p.* 104.

Habitat in foliis aridis Graminum variorum. Lectum circa Basileam (Hochstetter et Groh test. Kunze).

Diagn. Caespitulos format oblongos longit. 1 — 1½ *lin. convexos. Flocci breviusculi, at articulis longis. Sporidia copiose inspersa, semidiaphana, oblonga, extremitatibus acutis, parva (Kunze.)*

29. CONOPLEA.

Flocci aggregati simplices septis obscuris *Sporidia* circa basin floccorum inspersa simplicia (non septata).

1. CONOPLEA *hispidula.*

C. floccis fasciculatis nigris, sporidiis concoloribus.

C. hispidula. *Pers. syn. p.* 235. *myc.* 1. *p* 10. *Albert. et Schwein. nisk. p.* 137. 138. *Kunze et Schmidt fung. exs. n.* 159.

Habitat in foliis Graminum aridis in Germania *Lecta circa Goettingam (Persoon), Lipsiam (Kze. et Schm.) in Lusatia (Albert. et Schwein.). (v. s.)*

Diagn. Fasciculos format in foliis aridis Arundinum praesertim parvos rotundos, floccis nudo oculo conspicuis, folio arcte adnatis. Sub microscopio composito flocci apparent longi tenues parum transparentes, septis obscuris, utique vero praesentibus. Sporidia parva globosa circa bases floccorum magna copia conglomerata et sparsa magis transparentia ac flocci.

Not. Conopleae aliae species ab Auctoribus indicantur, quae aut hujus loci non sunt, aut accurate non indicatae C. Tiliae, clavuligera, hypodermia Pers. ad Exosporium pertinent C. quercina ej. ignota, nec non C. Eryngii et C. sphaerica ej. C. fusca ej. a Dr. Kunze ipsi et mihi nomine Helminthosporii subramosi communicata est Oidium subramosum. C. cinerea, gilva et cylindrica ej. ignotae. C. atra ej. est Chaetomium atrum. C. betulinam Albert. et Schwein. nisk p. 138. *non vidi. C. puccinoides de Cand. fr.* 2. *p.* 73. *videtur Arthrinium Caricicola Schmidt et Kze.*

30. COELOSPORIUM.

Flocci aggregati non septati ramosi et subramosi. *Sporidia* inspersa cava.

1. COELOSPORIUM *fruticulosum.*

C thallo limitato confluente, floccis dense aggregatis ramosis atris, sporidiis globosis orificio subrotundo dehiscentibus

Helmisporium cavispermum. *Link Obs. II. p.* 38.

Dematium articulatum. *Pers. syn. p.* 694. *myc.* 1. *p.* 16. *Albert. et Schwein. nisk. p.* 365.

Habitat in Graminum praesertim majorum culmis foliisque siccis in Germania. *Lectum in Silesia (Lk.), Lipsiae (Kunze). (v. v.)*

Diagn. Caespitulos globosos efficit floccis longiusculis, oculo nudo facile distinguendis, ita ut Conopleam credas. Stroma nullum adest, sed flocci immediate culmo aut folio innascuntur basi densissime aggregati apice divergentes ramosi et subramosi rigidi opaci. Sporidia hinc inde adspersa subglobosa cava.

31. HELMINTHOSPORIUM.

Flocci aggregati sparsive simplices aut subramosi apicibus tantum septatis. *Sporidia* adhaerentia septata.

Not. Ad basin floccorum praesertim in specie prima massa gelatinoso-vesiculosa expansa est.

1. HELMINTHOSPORIUM *velutinum.*

H. floccis dense aggregatis ramosis obtusis nigris, sporangiis cylindricis.

Helmisporium velutinum. *Link Obs. I. p.* 8. *Nees fung. p.* 67. *f.* 65. *B. Mart. erlang. p.* 350. *Pers. myc.* 1. *p.* 17.

Dematium ciliare. *Pers. syn. p.* 694. *Schumach. saell.* 2. *p.* 444.

Hypoxylon ciliare. *Bulliard champ. p.* 173. *herb. t.* 468. *f.* 1.

Habitat in ramulis dejectis in Germania *et* Gallia. *(v. v.)*

Diagn. Ramulos dejectos undique cingit pilis quasi sibi appositis lin. et ultra longis nigris hinc inde fuscescentibus. Sub microscopio composito apparent flocci crassiusculi plerique opaci, minores tantum parum transparentes et subinde septis obscuris conspicui sunt. Rami pauci at longiusculi et divaricati apice obtusi. Sporidia versus basin floccis adnata, plerumque vero soluta hinc inde adglutinata conspiciuntur, cylindrica basi parum attenuata apice obtusata, manifeste septigera et ad septa constricta

albentia subdiaphana. Septa evanescunt et horum loco series duae sporarum globosarum conspiciuntur. Flocci imponuntur maculae nigrae stroma sistenti.

2. HELMINTHOSPORIUM *subulatum.*

H. floccis laxe aggregatis subsimplicibus subulatis nigris, sporangiis clavatis pellucidis.

H. subulatum. *Nees N. Act. Ac. Leop. Car.* 9. *p.* 242. *t.* 5. *f.* 13. *Pers. myc.* 1. *p.* 18.

Habitat in ramulis quercinis putridis cortice adhuc tectis in Germania. *Lectum in Franconia* (*Nees*). (*v. s.*)

Diagn. Maculae suborbiculari nigricanti innascuntur flocci nudo oculo conspicui dissiti crebri tamen longitudine circiter lineae, nigri aequati acuti, qui sub microscopio composito omnino opaci cernuntur neque annulati, a basi ad apicem sensim attenuati et subulati, plerique simplicissimi rectiusculi aut leviter undulati stricti immixtis tamen aliis apice vel basi furcae in modum divisis. Sporidia arcte juxta basin adhaerent, sub aqua motis floccis tandem defluentia pleraque longitudine sua floccis apposita pauca altero fine, quasi pedicello affixa oblongo clavata obtusa basi elongata septata fusco pellucentia. Differt ab H. velutino floccis multo magis dissitis brevioribus subulatis nec subcylindricis acutis nec obtusis rarissime tantum apice basique divisis, plerisque simplicissimis tenuibus, sporangiis parcis ab H. minore sporidiis clavatis (*Nees*).

3. HELMINTHOSPORIUM *minus.*

H. floccis laxe aggregatis subramosis atris, sporidiis oviformibus subseptatis

H. minus. *Link Obs II. p.* 39.

Habitat in cortice arborum putrescentium in Germania. *Lectum in Silesia, Glacens. Com.* (*Lk*). (*v v.*)

Diagn. Maculas format in cortice atras e floccis compositas parvis brevibusque. Sub microscopio composito flocci opaci interdum ramosi, ramis ut in H velutino obtusis. Sporidia oblonga septis obscuris massa grumosa referta, quibus et brevitie floccorum ab H. velutino differt.

4. HELMINTHOSPORIUM *nanum.*

H. floccis sparsis simplicibus furcatisque nodosis, sporidiis subcylindricis, flocco parum brevioribus.

H. nanum. *Nees fung. p.* 67. *f.* 65. *N. Act. Acad. Leop. Car.* 9. *p.* 243. *t.* 5. *f.* 13. *B.*

Habitat in ligno putrescente in Europa. *Lectum prope Basileam* (*Nees*), *Lipsiam* (*Kunze*), *Berol.* (*Ehrenb.*) (*v. v.*)

Diagn. Maculae longitudinaliter effusae, variae magnitudinis, atro nitidae subvelutinae nudo oculo in ligno emortuo apparent, cujus superficies canescens carie orta hypothallum interdum simulat. Lente illustratum, setulas erectas seu parum curvas rigidulas furcatas nigras exhibet, quae sub microscopio composito, cum sporidiis hinc inde sparsis structuram generi communem ostendunt. Rami versus apicem abeunt in articulos aliquot plus minusve distinctos, quorum septa contrahuntur eosque forma ovali oblongave ab invicem sejungunt. Tum apicibus, aucta diametro, incrassatis, rami ipsi abeunt in sporidia oblonga cylindrica obtusa tri-quadriannulata colore fuscidulo pellucente insignia. Sporidia dum immatura secedunt, ramulum secum auferunt et inde caudata apparent (*Nees*).

5. HELMINTHOSPORIUM *pellucidum.*

H. floccis aggregatis ramosis pellucidis fusco-nigris, sporidiis pyriformibus substipitatis.

Habitat in ramulis dejectis Germaniae. *Lectum circa Lipsiam* (*Kunze*). (*v. s.*)

Diagn. Maculas format in ramulis dejectis secundum longitudinem praecipue effusas fusco-nigras e floccis brevibus compositas. Sub microscopio composito flocci apparent ramis paucis, pellucidi, quo charactere a praecedente species differt, superne septigeri. Sporidia pellucida uti flocci, stipitata procul dubio, quia ut sporidia praecedentis speciei, e ramulis septigeris oriuntur, quae cum solvuntur partem ramuli secum auferunt.

6. HELMINTHOSPORIUM *simplex.*

H. floccis dense aggregatis simplicibus et subramosis

atris, sporidiis fusiformibus pellucidis septis evanescentibus.

H simplex. *Nees N. Act. Ac. Leop. Carol.* 9. *p.* 241. *t.* 5. *f.* 11. *Pers. myc.* 1. *p.* 18.

Habitat in liguo Salicum emortuarum in Germania. *Lectum circa Lipsiam (Kunze). (v. s.)*

Diagn. Ligna arida tomenti instar densi nigri investit, floccis nudo oculo vix conspicuis. Sub microscopio composito flocci plurimi simplices apparent, sunt tamen et ramo uno aliove praediti, breves obtusi parum transparentes, apicibus obscure septatis. Medio interdum conglutinari cum proximo flocco vidit Nees. Sporidia seu potius sporangia utrinque attenuata, juniora septata utpote e ramulorum apicibus procul dubio oriunda, tunc vero evanescunt et conspiciuntur sporae globosae serie unica longitudinali positae, quae rupto sporangio inspersae sunt.

7. HELMINTHOSPORIUM *tenuissimum.*

H. floccis laxe aggregatis simplicibus olivaceo-nigris, sporidiis ad basin coacervatis ovato-clavatis.

H. tenuissimum. *Nees N. Act. Leop.* 18. *Carol.* 9. 242. *t.* 5. *f.* 12. *Pers. myc.* 1. *p.* 18.

Habitat in caulibus herbarum exsiccatis in Germania. *Lectum in caule plantae umbellatae Lipsiae (Kunze), Sickershausen Franconiae (Nees). (v. s.)*

Diagn. Flocci tenuissimi, nudo oculo vix observabiles, maculas formant irregulares unciam et ultra longas, coloris atri in olivaceum tendentis; sub microscopio composito subpellucidi fusci obsolete articulati. Sporidia ratione plantae magna, pellucida, septis 3—4, densis stratis floccorum basin obtegunt.

Not. H. ramosissimum Link Obs. II. p. 39. *utpote dubiam plantam nunc omitto, cum nec plantula supersit nec descriptio.*

32. ACTINOCLADIUM.

Flocci basi simplices apice umbellatim ramosi erecti segregati. *Sporidia* vage adspersa simplicia.

1. ACTINOCLADIUM *rhodosporum.*

A. thallo effuso floccis raris trifidis nigris, sporidiis globosis dilute violaceo-roseis.

A. rhodosporum. *Ehrenberg in Jahrb. d. Gewächsk. H. 2. p. 51. t. 5. f. 3. Pers. myc. 1. p. 32.*

Habitat in truncis aridis arborum in Germania. *Lectum Berolini in trunco Corpini Betuli (Thiergarten Ehrenb.). (v. v.)*

Diagn. Plantula locum gratissimo colore roseo tingit, quae farina apparet nudo oculo, et sub microscopio composito adspecta sporidia sistit globosa sat magna pellucida vage dispersa. Inter haec flocci enascuntur segregati cortici arcte adhaerentes teretes apice in ramos tres obtusos fissi longitudine stipitis et hocce parum aut vix graciliores. Nexus floccorum cum sporidiis nondum observatus est. (Ehrenberg).

33. HELICOSPORIUM.

Flocci erecti simplices non septati. *Sporidia* spiraliter involuta septata.

1. HELICOSPORIUM *vegetum.*

H. floccis dense aggregatis nigris, sporidiis ad basin inspersis e viridi griseis.

H. vegetum. *Nees fung. p. 68. f. 69. Pers. myc. 1. p. 18.*

Habitat in ligno putrescente Germaniae. *Lectum in Franconia (Nees). (v. s.)*

Diagn. Maculas efficit sat late effusas, floccis nudo oculo non conspicuis. Sub microscopio composito simplices apparent transparentes et obscuri rigidiusculi acuti. Sporidia ad basin magna copia adspersa minuta convolutione annulum formantia saepius septata pellucida.

SERIES III.

Flocci sporidiferi erecti. *Sporidia* in sporisoria circa apices accumulata.

34. HAPLOTRICHUM.

Flocci aggregati simplices toti septati. *Sporidia* simplicia (non septata).

1. HAPLOTRICHUM *capitatum.*

H. caespitulis effusis, floccis albis, sporidiis ovalibus.
Acladium capitatum. *Link Obs. I. p.* 10. *f.* 13. *a. Nees fung. p.* 54. *f.* 51. *Mart. erlang. p.* 341. *Pers. myc.* 1. *p.* 28.

Habitat in truncis putrescentibus Germaniae. *Lectum Rostochii* (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn. Caespitulos parvos format e floccis tenerrimis fugacibus. Sporidia tandem decidunt, tum plantula ad praecedentem sectionem pertinet. Acladio affine.

35. HAPLARIA.

Flocci simplices aut subramosi omnes erecti segregati toti septati. *Sporidia* ad apices et latera in sporisoria accumulata.

Not. Floccis segregatis a pr. genere differt.

1. HAPLARIA *grisea.*

H. floccis griseis, sporidiis globosis concoloribus.
H. grisea. *Link Obs. I. p.* 9. *f.* 12. *Nees fung. p.* 52. *f.* 49. *Mart. erlang. p.* 340. *Pers. myc.* 1. *p.* 28.

Habitat in foliis siccis Sparganii, Arundinis, similiumque plantarum Germaniae. *Lectum Rostochii* (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn. Flocci ad ½ *lin. longi teneri at rigidiusculi. Sporidia facillime disperguntur et delabuntur, ita ut vage dispersa appareant. Demum flocci nudi supersunt.*

ACTINOCLADIUM.

Flocci trifidi segregati. *Sporidia* dispersa.
Cfr. Famil. 2. *Ser.* 2.

36. BOTRYTIS.

Flocci sporidiferi erecti toti septati raro simplices plerumque vage ramosi et partiti. *Sporidia* simplicia (non didyma.)

Not. Genus cum Sporotricho facile confundendum, si statu decrepito et sicco videris, ubi sporidia delapsa sunt et flocci sporidiferi decumbunt. Hyphasma e floccis decumbentibus saepe luculentum saepe obscurum.

Div. 1. *Albae, floccis sporidiisque albis.*

1. BOTRYTIS *ramulosa.*

B. thallo tandem effuso, floccorum sporidiferorum ramulis subramosis brevissimis, sporidiis globosis.

B. ramulosa. *Link Obs. I. p.* 12. *Pers. myc.* 1. *p.* 35.

B. nivea. *Mart. Erlang. p.* 342.

B. parasitica. *Pers. obs.* 1. *p.* 96. *t.* 5. *f.* 6.

Mucor Botrytis. *Sowerb. fung. t.* 359.

Habitat in caulibus siccis interdum quoque vivis herbarum Germaniae. *Lecta Rostochii, Berolini frequens (Lk.), Erlangae (Martius). (v. v.)*

Diagn. Caespites format stuposos aut lanatos initio parvos tum effusos majores caules involventes. Sporidia majuscula conglomerata.

2. BOTRYTIS *epigaea.*

B. thallo effuso, floccis sporidiferis subramosis brevibus, sporidiis globosis minutis.

Habitat in terra humida sylvarum Germaniae. *Lecta Berolini im Thiergarten (Lk.). (v. v.)*

Diagn. In terra humida longe serpit camque telae araneae instar obducit. Sporidia globosa minuta, quibus a sequente distinguitur.

3. BOTRYTIS *geotricha.*

B. thallo effuso, floccis sporidiferis subramosis brevissimis, sporidiis oblongis utrinque truncatis.

Geotrichum candidum. *Link Obs. I.* 1. *p.* 15. *f.* 26. *Pers. myc.* 1. *p.* 26.

Sporotrichum laxum. *Martius Erlang. p.* 335.

Habitat in terra sterili sylvarum et ericetorum Germaniae. *Lecta Rostochii, Berolini* (*Lk.*), *Erlangae* (*Martius*). (*v. v.*)

Diagn. Tenuis tomenti instar terram obducit maculam albam nudo oculo granulosam referens. Cum recens est, sporidia circa apices floccorum coacervantur, hinc ad Botrytin reducenda. At sporidia facillime decidunt, flocci decumbunt, tunc Sporotrichum videtur.

4. BOTRYTIS *elegans.*

B. thallo effuso tenuissimo, floccis sporidiferis longiusculis corymbose ramosis demum flavescentibus, sporidiis globosis.

B. elegans. *Link Obs. I. p.* 13. *Pers. myc.* 1. *p.* 34.

Habitat in stercore vaccino Germaniae. *Lecta Rostochii* (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn. Flocci sporidiferi arbusculas elegantes formant, qui vero facillime collabuntur ita ut conservari nequeant.

5. BOTRYTIS *densa.*

B. thallo denso subgloboso, floccis sporidiferis erectis virgate ramosis, sporidiis majusculis oviformibus albis.

B. densa. *Ditmar in Sturms Abbild. d. Pilze. H.* 4. *p.* 105. *t.* 52 *Pers. myc.* 1. *p.* 36.

Habitat in Muscis Germaniae. *Lecta prope Rostochium* (*Ditmar*). (*v. v.*)

Diagn Caespitulis subglobosis sparsis crebris albissimis facile dignoscitur. Flocci valde ramosi, sporidiis frequentibus.

6. BOTRYTIS *agaricina.*

B. thallo effuso, floccis sporidiferis ramosissimis, ramis divaricatis, sporidiis ovalibus maximis.

B. agaricina. *Link Obs. I. p.* 13. *Ditmar in Sturms Abbild. d. Pilze. H.* 4. *p.* 103. *t.* 51. *Pers. myc.* 1. *p.* 34.

B. dendroides. *Pers. myc.* 1. *p.* 34.

Sporotrichum Boletorum. *Ehrenb. sylv. mycol. p.* 10. 22.

Mucor dendroides. *Bulliard champ. p.* 105. *herb. t.* 504. *f* 9. *Decand. fr.* 2. *p.* 70.

Habitat in fungis putridis Europae. *Lectum Rostochii (Lk.). etc. (v. v.)*

Diagn. Fungos putrescentes lana alba lin. alta obducit. Thallus facile decumbit aut perit ob teneritatem, at sporidia magna remanent. Sporidia nonnulla cylindrica annulata invenit Ehrenberg.

Not. 1. *B. dendroides a B. agaricina non differt.*

Not. 2. *Quid est: B. diffusa Albert. Schwein. nisk. p.* 362? *Hujus character: Candida ramosa, ramis longe lateque diffusis, ramulis undique in racemos dispositis racemuligeris. Addit. Sporulae in racemulo singulo subquaternae subglobosae, dissilientes fumum seminalem copiosum emittentes.*

7. BOTRYTIS *epiphylla.*

B. thallo effuso, floccis sporidiferis simplicibus.

B. epiphylla. *Pers. myc.* 1. *p.* 36.

Habitat in foliis virentibus plantarum quae inde crispa et bullata fiunt, in Gallia *(Persoon).*

Diagn. Farinae dispersae similis est et crustae formis. Flocci sporidiferi brevissimi. (Persoon).

Div. 2. *Virentes et olivaceae, floccis virentibus et olivaceis.*

7. BOTRYTIS *olivacea.*

B. thallo tenui limitato, floccis sporidiferis subramosis brevissimis, sporidiis globosis.

B. olivacea. *Link Obs. I. p.* 12. *Pers. myc.* 1. *p.* 37.

Habitat in truncis arborum putrescentibus. Lectum Rostochii (Lk.). (v. v.)

Diagn. Maculas sat expansas pollicis diametro in ligno praesertim nigricante occupat, floccis oculo nudo vix conspicuis, sporidiferis parum ramosis. Sporidia crebra parva.

8. BOTRYTIS *pulvinata.*

B. thallo crassiusculo effuso, floccis densis aggregatis erectiusculis nigro olivaceis, sporidiferis subramosis brevissimis, sporidiis globosis.

Habitat in fungis Europae. *Lecta in Gallia* (*Persoon*). (*v. s.*)

Diagn. Fungos exsiccatos denso strato investit hinc inde in pulvinos elevato velutinos colore obscuro, floccis parvis nudo oculo aegre conspicuis. Flocci sporidiferi reliquos vix superant, sporidiis globosis tenaciter adhaerentibus. An Aspergillus?

8. BOTRYTIS *polyspora.*

B. thallo elevato expanso, floccis sporidiferis ramosissimis, sporidiis globosis copiosissimis.

B. polyspora. *Link Obs. I. p.* 12. *Ditmar in Sturms Abbild. d. Pilze. H.* 3. *p.* 71. *t.* 35. *Martius erlang. p.* 342. *Pers. myc.* 1. *p.* 33.

Habitat in ramis dejectis Germaniae. *Lecta Rostochii* (*Lk.*) *et Erlangae* (*Martius*). (*v. v.*)

Diagn. Latas plagas occupat in ligno dejecto floccis ad 2 *lin. longis quibus a specie praecedente differt. Sporidia tam copiosa ut afflatu eleventur.*

9. BOTRYTIS *cinereo-virens.*

B. thallo elevato diffuso medio cinereo versus ambitum virente, floccis sporidiferis subramosis, sporidiis globosis magnis copiosis.

B. cinereo-virens. *Kunze et Schmidt Mycol. Hfte* 1. *p.* 82. *Pers. myc.* 1. *p.* 33.

Habitat in ramis dejectis Germaniae. *Lecta Lipsiae* (*Kunze*).

Diagn. Plagas format longitudine 4 *poll. crassitie vix lineae. Flocci densi, in medio caespitis aetate fusci. Sporidia copiosa ita ut superficies pulverulenta apparent.*

10. BOTRYTIS *lignifraga.*

B. thallo elevato limitato, floccis ramosis intricatis albo-virentibus, sporidiis globosis.

B. lignifraga. *Decand. fr.* 2. *p.* 70.

Mucor lignifragus. *Bulliard champ. p.* 103. *t.* 504. *f.* 6.

Habitat in cortice arborum praesertim Betulae in Gallia (*Bulliard*).

Diagn. Caespites parvi e medio cortice erumpentes epidermidum removentes initio albi tum virentes. Sporidia secundum longitudinem apicum floccorum minutissima (Bulliard).

Div. 3. Roseae, floccis partim roseis.

11. BOTRYTIS *rosea.*

B. thallo elevato effuso, floccis sporidiferis ramosis, sporidiis globosis minutis.

B. rosea. *Link Obs. II. p.* 36. *Pers. myc.* 1. *p.* 35.

Habitat in ramis dejectis Germaniae. *Lectum Rostochii, Berolini (Lk.). (v v.)*

Diagn. Caespitulos parvos roseos floccis laxis instar lanae ramis incumbentes format. Flocci sporidiferi versus apices multi partiti.

12. BOTRYTIS *macrospora.*

B. thallo subelevato effuso, floccis albis hinc inde roseis, sporidiferis apice ramosis ramis verticillatis, sporidiis maximis subcylindricis.

B. macrospora. *Link Obs. I. p.* 13. *Ditmar in Sturms Abbild. d. Pilze. H.* 4. *p.* 101. *t.* 50. *Pers. myc.* 1. *p.* 34. *excl. syn.*

Habitat in foliis dejectis in Germania. *Lecta Rostochii (Ditmar). (v. v.)*

Diagn. Inventum in foliis Quercus Roboris, quae late obducit et connectit. Flocci caespitis hinc inde in colorem pulchre roseum transeunt. Elegans plantula.

13. BOTRYTIS *variosperma.*

B. thallo elevato, floccis albis hinc inde roseis, sporidiferis vage ramosis, sporidiis oblongis majoribus et minoribus.

B. variosperma. *Link Obs. II. p.* 36. *Pers. myc.* 1. *p.* 35.

Cladobotryum varium. *Nees fung. p.* 55. 56. *f.* 54.

Habitat in stobe lignea putrescente et conglutinata in Germania. *Lecta in Franconia (Nees ab Esenbeck), Berol. (Ehrenb.). (v. v.)*

Diagn. Plagas occupat sat magnas. Flocci albi hinc inde in roseum transeunt colorem, ad lin. alti. Af-

finis praecedenti at sporidia minora, variae magnitudinis. Secundum Ditmarum non differt, quippe qui sporidia exsiccatione diminuta esse putat, cui lubenter adsentio.

Div. 4. Flavicantes, floccis totis partimque flavis fulvisve.

14. BOTRYTIS *flavicans.*

B thallo tenuissimo effuso albo limitato, floccis sporidiferis vage ramosis, sporidiis globosis minutis.

B. flavicans. *Link Obs. II. p.* 36. *Pers. myc.* 1. *p.* 35.

B. flavida. *Martius Erlang. p.* 343.

Habitat in ramis dejectis Germaniae. *Lecta Rostochii* (*Lk.*), *Erlangae* (*Mart.*). (*v. v.*)

Diagn. Caespituli parvi tenuissimi colore flavicante, versus ambitum albescente. Flocci sporidiferi breves non nisi in statu optime vegeto conspicui. Facillime evanescit.

15. BOTRYTIS *fulva.*

B. thallo crassiusculo effuso subfulvo floccis sporidiferis vage ramosis, sporidiis globosis.

Dematium ollare. *Pers. syn. p.* 697.

Habitat in vaporariis terram ollarum investiens. Lecta Goettingae, Parisiis (*Persoon*). (*v. s.*)

Diagn. Terram obtegit tomento crassiusculo subfulvo, colore persistente, ipsisque floccis minus fugacibus ac in reliquis. Sporidia arcte apicibus adhaerent.

16. BOTRYTIS *allochroa.*

B. thallo elevato limitato albo demum flavo, floccis sporidiferis apice ramosis, ramis corymbiferis, sporidiis globosis majusculis.

B. allochroa. *Link Obs. I. p.* 12. *Nees fung. p.* 55. *f.* 53. *Pers. myc.* 1. *p.* 34.

Habitat in ramis herbarum siccis Germaniae. *Lecta Rostochii* (*Ditmar*) *in Franconia* (*Nees*). (*v. v.*)

Diagn. Caespitulos rotundos seu oblongos format demum confluentes ultra lin. crassos, floccis lanae instar

elevatis. Sporidia alba demum confluentia, unde color. Affinis B. ramulosae, an varietas?

Div. 5. Aurantiacae, floccis sporidiisque aurantiacis.

17. BOTRYTIS *aurantiaca.*

B. thallo subelevato effuso, floccis sporidiferis ramosissimis, sporidiis globosis.

B. aurantiaca. *Link Obs. I. p.* 12. *f.* 18. *Pers. myc.* 1. *p.* 35.

Trichoderma aureum. *Persoon. syn. fung. p.* 232. *sec. specimen Auctoris.*

Habitat in caulibus plantarum praesertim Umbelliferarum siccis, corticibusque arborum in Europa. *Lecta in Lusitania circa Olyssiponem, nec non Rostochii (Lk.), in Gallia (Persoon). (v. v.)*

Diagn. Caespites format late effusos ad plures pollices extensos ad lin. crassos colore pulchro persistente. Flocci sporidiferi eleganter ramosi. Siccum difficillime a Sporotricho aurantiaco distinguitur nisi quod multo magis collabatur et fatiscat.

Not. An hujus loci Mucor roseus Bulliard champ. p. 102. *herb. t.* 504. *f.* 4., *Botrytis rosea, Decand. fr.* 2. *p.* 71? *At rami angulo recto inserti, sporidia oblonga. Sub epidermide nascitur.*

Div. 6. Griseae, floccis sporidiisque griseis.

18. BOTRYTIS *cana.*

B. thallo subelevato limitato, floccis sporidiferis superne ramosis sporidiis ovalibus magnis.

B. cana. *Kunze et Schmidt Mycol. Hefte* 1. *p.* 83. *Pers. myc.* 1. *p.* 33.

Habitat in foliis marcidis Germaniae. *Lectum locis umbrosis humidis in Scrofularia nodosa prope Lipsiam (Schmidt).*

Diagn. Caespites parvi 1—2 *diametro plerumque rotundi. Sporidia non crebra.*

Not. An B. polyactis minus evoluta?

19. BOTRYTIS *polyactis.*

B. thallo elevato effuso, floccis griseis, sporidiferis vage ramosis apice divisis, sporidiis globosis glaucis.

Polyactis vulgaris. *Link Obs. I. p.* 14. *f.* 22. *Nees fung. p.* 58. *f.* 55. *Mart. erlang. p.* 344.
Mucor racemosus? *Bulliard champ. p.* 104. *herb. t.* 504. *f.* 7.
Botrytis racemosa? *de Cand. fr.* 2. *p.* 70.
Spicularia racemosa? *Pers. myc.* 1. *p.* 40.
Monilia vulgaris. *Pers. myc.* 1. *p.* 31.
Penicillium racemosum. *Pers. myc.* 1. *p.* 41.
Botrytis nr. 9. *Michel. gen. p.* 213. *t.* 91. *f.* 4.
Habitat in caulibus herbarum putrescentium in Germania *frequens. Lectum Rostochii, Berolini (Lk.), in Franconia (Nees), Italia (Micheli). (v. v.)*
Diagn. Caespites format a linea ad poll. altos longe lateque saepe expansos. Flocci laniformes laxi teneri, sporidiferi parum ultra hyphasma elevati. Sporidia copiosa minuta.

20. BOTRYTIS *turbinata.*

B. thallo elevato limitato, floccis caesiis, sporidiis globosis candidis.
Polyactis turbinata. *Kunze et Schmidt Mycol. Hfte* 1. *p.* 83.
Monilia turbinata. *Pers. myc.* 1. *p.* 31.
Habitat in ligno Pini putrescente in Germania. *Lect. Lipsiae (Schmidt).*
Diagn. Flocci ex uno puncto veluti exire videntur, superne in formam turbinatam expansi lin. alti. Sporidia nitida.

21. BOTRYTIS *cinerea.*

B. thallo elevato effuso, floccis fuligineo-cinereis subramosis, sporidiferis simplicibus, parum elevatis, sporidiis globosis concoloribus.
B. cinerea. *Pers. syn. p.* 690. *myc.* 1. *p.* 32. *Albert. et Schweinitz Fung. Nisk. p.* 363. *Schumach. saell.* 2. *p.* 238.
Habitat ad fungos putridos, caules corruptos et ramulos parvos Sclerotio duro saepe insidens in Europa. *Lect. in Germania et Gallia (Persoon). (v. s.)*
Diagn. Plagas non ita magnas occupat, floccis vix lin. altis, simplicibus hinc inde ramosis, per microscopium visi crassiores ac in reliquis, articulis alternatim

valde constrictis; sporidiferi reliquis non altiores. Sporidia parva globosa viscosa. Specimina a al. Persoon habemus. A. B. polyspora valde differt.

22. BOTRYTIS *murina.*

B. thallo elevato effuso, floccis cinereis virgate ramosis rigidis, sporidiis coacervatis globosis concoloribus.

B. murina. *Ditmar in Sturms Abbild. d. Pilze. H.* 3. *p.* 73. *t.* 36. *Pers. myc.* 1. *p.* 36.

Habitat in ramis dejectis semiputridis sylvarum Germaniae. *Lectum prope Rostochium* (*Ditmar*). (*v. v.*)

Diagn. Caespites ad longitudinem 3—4 *lin. effunduntur, floccis ad lin. usque elevatis. Flocci opaci sunt dense aggregati, ipsi ramique acuti rigidi. Sporidia haud frequentia paullo minus obscure cinerea, ac flocci.*

23. BOTRYTIS *leucospora.*

B. thallo elevato effuso floccis griseis apice multifidis, sporidiis globosis albis.

Habitat in pyris putridis in Germania. *Lecta Berolini* (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn. Caespites format laniformes lin. et ultra altos. Flocci apice divisi laciniis 4. *multifidis. Sporidiis albis in floccis cinereis facile distinguitur.*

Div. 7. *Rufo griseae, floccis griseis rubrisque apice albis.*

24. BOTRYTIS *bicolor.*

B. thallo elevato effuso e griseo rubro, floccis sporidiferis vage ramosis apice divisis albis, sporidiis subglobosis albis.

Habitat in caulibus herbarum majorum exsiccatis Germaniae. *Lect. Berolini in horto botanico* (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn. Caespites format lin. et ultra altos longe effusos colore e griseo-nigrescente hinc inde rubro, illo persistente, hoc evanescente. Sporisoria circa apices simplices et quadrifidos.

Div. 8. *Nigrae, floccis sporidiisque nigris.*

25. BOTRYTIS *nigra.*

B. thallo subelevato effuso, floccis sporidiferis vage ramosis, sporidiis globosis.

B. nigra. *Link Obs. I. p.* 12. *Pers. myc.* 1. *p.* 37.
Virgaria nigra. *Nees fung. p.* 54. *f.* 52. *Martius erlang. p.* 342.

Habitat in truncis ramisque arborum dejectis. Lecta Rostochii (Ditmar), in Franconia (Nees, Martius). (v. v.)

Diagn. Caespites format longe lateque expansos velutinos floccis densis. Flocci sporidiferi tenues ramis paucioribus virgatis. Sporidia minuta copiosa.

Varietatem aut speciem propriam legit Ehrenberg in charta bibula corrupta thallo tenuiori at sporidiis uti videtur paullo majoribus.

31. POLYACTIS.

Flocci sporidiferi erecti simplices aut ramosi apice umbellatim divisi, toti septati. *Sporidia* simplicia (non didyma).

1. POLYACTIS *quadrifida.*

P. thallo elevato effuso griseo, floccis griseis, sporidiferis apice quadrifidis, sporidiis globosis glaucis.

Botrytis ramosa. *Pers. syn. p.* 690. *Albert. et Schwein. nisk. p.* 363.
Spicularia ramosa. *Pers. myc.* 1. *p.* 39.
Monilia quadrifida *Pers. myc.* 1. *p* 31.
Aspergillus quadrifidus *Link Obs. II. p.* 36.
Botrytis n. 3. *Michel. gen. p.* 212. *t.* 91. *f.* 2.

Habitat in caulibus plantarum putrescentium in Europa. *Lectum Rostochii, Florentiae (Micheli).*

Diagn. Caespites format 2 *lin. et ultra altos late expansos, floccis sporidiferis parum ultra hyphasma elevati. Apicibus floccorum sporidiferorum regulariter quadrifidis subclavatis dignoscitur.*

2. POLYACTIS *umbellata.*

P. thallo elevato effuso floccis ex albo-nigricantibus, sporidiferis apice multifidis, sporidiis globosis.

B. umbellata. *de Cand. fr.* 2. *p.* 71.

Mucor umbellatus. *Bulliard champ. p.* 105. *herb. t.* 504. *f.* 8.

Spicularia umbellata. *Pers. myc.* 1. *p.* 39.

Habitat in fructibus praesertim saccharo conditis fere corruptis foliisque emortuis in Gallia (*Bulliard*).

Diagn. Color initio albus tum griseo-niger. Flocci sporidiferi graciles recti ad angulum rectum fere inserti floccis decumbentibus et ramosis, apice divisi in 5—6 *radios breves umbellatos, quovis radio gerente sporidia plura sessilia sparsa.* (*Haec de Candolle secundum iconem Bulliardianam*) *Caespitose crescit. Solus est Mucor qui semina fert in pedicillis umbellatis. Semina globosa minuta sessilia inserta secundum longitudinem radiorum umbellae. Affinis Mucori Aspergillo* (*Aspergillo glauco*) *sed hujus semina sustentantur pedicellis simplicibus; agglutinata in series divergentes.* (*Bulliard*).

Not. An varietas praecedentis?

3. POLYACTIS *simplex.*

P. floccis sporidiferis sparsis simplicibus griseis, apicibus 3—5 fidis.

Botrytis simplex. *Pers. syn. p.* 690. *Albert. et Schwein. nisk. p.* 363.

Spicularia simplex. *Pers. myc.* 1. *p.* 39.

Botrytis nr. 1. *Michel. gen. p.* 212. *t.* 91. *f.* 1.

Habitat ad ligna putrescentia et Graminum culmos in Italia. *Lecta Florentiae* (*Micheli*).

Diagn. Floccis sparsis secundum iconem Michelianam sat distincta. Non vidi plantulam, hinc dicere non possum an Hyphasma adsit.

Not. 1. *Botrytis simplex ββ Albert. et Schwein. nisk. p.* 363. *non hujus loci est sed Oidium.*

Not. 2. *Spicularia Pers. Mycol. eur.* 1. *p.* 38. *character est: „Stipes simplex subramosusque apice bi-quadrifidus. Sporulae in spiculam ovatam (pedicellatam) arcte aggregatae terminales.“ Ultima nota secundum icones indicata est, non secundum naturam.*

Prior vero genus distinguit quod nunc Polyactin voco. Species Spicularia sunt: 1. *Sp. simplex. Polyactis simplex.* 2. *Sp. umbellata. Polyactis umbellata.* 3. *Sp. ramosa. Polyactis quadrifida.* 4. *Sp. gemima. Botrytis spicata, Pers. syn. p.* 691. *Mucor botrytis, Bolt. fung. T.* 3. *n.* 167. *t.* 132. *f.* 3. *Botrytis nr.* 4. *Michel. gen. p.* 212. *t.* 91. *f.* 4. *quam speciem extricare non audeo.* 5. *Sp. alba. Botrytis nr.* 2. *Mich. gen. p.* 212. *t* 91. *f.* 3. *cui sequentia addit Persoonius: „Habitat in pomis putrescentibus, ubi individua dense approximata crustam efficiunt. Stipes simplex hyalinus (secundum iconem superne tripartitus). Spiculae opacae, rarius bene explicatae. Observavi quoque basin byssoideam colore olivaceam, quae a nostro fungillo diversa videtur. Spiculae quaternae ex Michelio.“ Quae quidem omnia non sufficiunt ad speciem determinandam. Miror Persoonium speciem vidisse, cum spiculas quaternas ex Michelio indicet.* 5. *Sp. racemosa. Botrytis racemosa Decand. fr.* 2. *p.* 70. *Mucor racemosus Bulliard champ. p.* 104. *herb. t.* 504. *f.* 7. (*nec* 8.) *quae mihi Botrytis polyactis videtur. Superest hujus generis Mucor caespitosus, Linn. Sp.* 1656. *Bolt. fung.* 3. *n.* 166. *t.* 132. *f.* 2., *exclusis tamen synonymis et iconibus Michelianis, quae Mucorem spiculis ternis non sistunt, sed quaternis. Obscura species.*

38. DIPLOSPORIUM.

Flocci sporidiferi erecti ramosi toti septati. *Sporidia* didyma, seu septo transverso discreta.

1. DIPLOSPORIUM *nigrescens.*

D. thallo crasso effuso, floccis parum ramosis fuligineo-atris, sporidiis ovalibus didymis.

Botrytis didyma *Kunze et Schmidt Mycol. Hfte* 1. *p.* 81. *Pers. myc.* 1. *p.* 37.

Habitat in ligno sicco duro Germaniae. *Lectum Lipsiae (Schmidt).*

Diagn. Caespites lin. alti ultra poll. expansi, colore e badio in nigrum vertente. Flocci aggregati parum ramosi apice incrassati basi diaphani et septati. Sporidia copiosa. Similis B. nigrae (Schmidt).

Not. Diplosporium sese habet ad Botrytin ut Trichothecium ad Sporotrichum.

39. ASPERGILLUS.

Hyphasma decumbens. *Flocci* sporidiferi erecti plerumque simplices clavati toti septati. *Sporidia* simplicia (non didyma).

Not. Sporidia in plerisque globosa. Granula minora sporidiis non raro in hyphasmate reperiunda. An amylacea, an gemmacea, an demum initia organorum masculorum?

Div. 1. *Albi, floccis sporidiisque semper albis.*

1. ASPERGILLUS *candidus.*

A. hyphasmate tenui, floccis sporidiferis simplicibus, sporidiis globosis.

Var. 1. *tenuissima.*

A. candidus. *Link Obs. I. p.* 14.

Monilia candida. *Pers. syn. p.* 692. *myc.* 1. *p.* 30. *Albert. et Schwein. p.* 364. *Schumach. saell.* 2. *p.* 235.

Aspergillus nr. 4. *Michel. gen. p.* 213. *t.* 91. *f.* 2.

Habitat in plantis siccis humido loco expositis, fungis exsiccatis, ad tapetes etc. frequens per totam Europam. (*v. v.*)

Diagn. Ob hyphasma tenuissimum flocci omnes erecti videntur sparsi breves, sporisoriis nudo oculo vix conspicuis. Sat diu persistit.

Var. 2. *densior.*

Habitat in cortice arborum Germaniae. *Lect. Berolini.*

Diagn. A varietate praecedente nonnisi hyphasmate crassiore densiore differt.

2. ASPERGILLUS *Mycobanche.*

A. hyphasmate crasso, floccis densis, sporidiferis simplicibus parum elevatis, sporidiis globosis.

Racodium? Mycobanche. *Pers. Mycol. europ.* 1. *p.* 74.

Habitat in fungis putridis praesertim Pezizis majoribus. Lectum Parisiis (Persoon). (v. s.)

Diagn. Hyphasmate denso semilineam fere crasso albissimo Pezizas undique cingit. Flocci sporidiferi breves parum ultra hyphasma elevati. Sporidia glo-

bosa capitulum crassiusculum ambiunt. In specimine a cl. Persoon accepto floccos sporidiferos vidi.

Not. *Monilia albicans Pers. myc. 1. p. 30. paucis indicata dubia est.*

3. ASPERGILLUS *ovalispermus.*

A. hyphasmate crasso, floccis densis, sporidiferis simplicibus parum elevatis, sporidiis ovalibus.

A. ovalispermus. *Link Obs. II. p. 37. Mart. erlang. p. 345.*

Habitat in pomis putridis Germaniae. *Lectus in Franconia (Nees ab Esenbeck) (v. s.)*

Diagn. Hyphasmate denso crasso dignoscitur sporidiisque magnis ovalibus. Flocci sporidiferi breves parum ultra hyphasma elevati.

Not. *Hyphasmate et sporidiis delapsis Sporotrichum fructigena exacte refert ut credideris eandem esse plantam, hanc, Aspergillum scilicet, vegetam, Sporotrichum vero effoetam.*

Div. 2. Flavi, floccis albis, sporidiis demum flavis.

4. ASPERGILLUS *flavus.*

A. hyphasmate tenui, floccis sporidiferis simplicibus, sporidiis globosis.

A. flavus. *Link Obs. I. p. 14. Nees fung. p. 60. Mart. erlang. p. 345.*

Monilia flava. *Pers. myc. 1. p. 30.*

Habitat in plantis siccis herbariorum sub cortice secedente truncorum e. g. Quercus, etc. in Germania *frequens. Lectum Rostochii, Berolini, in Francouia (Nees). (v. v.)*

Diagn. Hyphasma instar telae araneae corpora obducit. Flocci sporidiferi breves demum flavi ob hyphasma tenuissimum soli tantum conspiciuntur et totam inde tingunt plantulam.

Div. 3. Lutescentes, floccis e luteo albis, sporidiis lutescentibus.

5. ASPERGILLUS *laneus.*

A hyphasmate laniformi, floccis sporidiferis ramosis, sporidiis globosis.

Habitat in fungis putridis Germaniae. *Lectum Rostochii (Dietmar).* (*v. v.*)

Diagn. Caespites magnos format, floccis ultra lin. altis valde ramosis. Capitula magna globosa. Flocci hinc inde colorem luteum ostendunt.

Div. 4. Glaucescentes, floccis albis, sporidiis demum glaucis.

6. ASPERGILLUS *glaucus.*

A. hyphasmate tenui, floccis sporidiferis simplicibus sporidiis globosis.

A. glaucus. *Link Obs. I. p.* 14. *II. p.* 36.

Mucor crustaceus. *Linn. Sp. p.* 1656.

Monilia glauca. *Pers. syn. p.* 6913. *myc.* 1. *p.* 19. *Albert. et Schwein. p.* 364. *Schumach. saell.* 2. *p.* 239.

Mucor Aspergillus. *Bulliard champ. p.* 106. *herb. t.* 504. *f.* 10.

Aspergillus nr. 1. *Mich. gen. p.* 212. *t.* 91. *f.* 1.

Habitat frequens in variis corporibus putrescentibus siccis. (*v. v.*)

Diagn. Panem, inde mucidum vocatum, late investit floccis decumbentibus tenuissimis telae araneae non dissimilibus, inter quos flocci erecti capitulis sporidiorum glaucis eminent. Sporidia saepe seriatim aggregata in icone Micheliana non bene. Granulum post alterum enim e clava flocci excerni videtur viscosum.

Not. Varietates a Persoonio indicatae myc. 1. *p.* 29. *vix h. l.*

Div. 5. Virescentes, floccis albis sporidiis demum virescentibus.

7. ASPERGILLUS *virens.*

A. hyphasmate laniformi, floccis densis, sporidiferis ramosis, sporidiis globosis.

A. virens. *Link Obs. I. p.* 14.

Monilia virens. *Pers. myc.* 1. *p.* 31.

Habitat in corporibus putrescentibus e. g. in sebo, quod corporibus conditis infundi solet, in Germania. *Lectum Rostochii (Lk.).* (*v. v.*)

Diagn. Caespites late extensos format floccis densis intricatis. Capitula magna, sporidiis globosis seriatis.

Div. 6. Rosei, floccis albis, sporidiis roseis.

8. ASPERGILLUS *roseus.*

A. hyphasmate tenui, floccis sporidiferis simplicibus, sporidiis globosis.

Mucor glomerulosus. *Bulliard champ. p.* 103. *t.* 504. *f.* 3.

Botrytis glomerulosa. *de Cand. fr.* 2. *p.* 71.

Acladium roseum. *Ehrenb. sylv. p.* 11. *Persoon myc.* 1. *p.* 29.

Monilia rosea. *Pers. syn. p.* 697. *Albert. et Schwein. p.* 364. *Batsch Elench. Fungor. t.* 12. *f.* 58.

Habitat in tapetibus, charta, linteo humidis inclusis in Europa. *Lecta in Germania et in Gallia.* (*v. v.*)

Diagn. Capitulis roseis sat distinctum. Flocci sporidiferi saepe aggregati et hyphasma obsoletum, unde Acladium roseum hujus puto loci.

Div. 7. Fusci.

9. ASPERGILLUS *ferrugineus.*

A floccis ferrugineis nitidis.

Monilia ferruginea. *Pers. myc.* 1. *p.* 30.

Mucor ferrugineus. *Sowerb. fung. t.* 378. *f.* 10.

Habitat in lignis putrescentibus caesis, hyeme.

Diagn. Caespitosa, forma nec non magnitudine A. glauci.

Not. 1. *Obscura planta.*

Not. 2. *ad. totum genus. Aspergillum Moniliam vocat Persoon. Monilia spongiosa Pers. myc. est Sporodinia grandis, M. turbinata ej. est Botrytis turbinata, M. quadrifida ej. est Polyactis quadrifida, M. vulgaris ej. est Botrytis polyactis, M. pulla ej. quae subcaespitosa nigra in foliis et charta reperiunda, mimis breviter descripta est. Obscurae M. aurea syn. p.* 690. *Albert. et Schwein. p.* 363. *M. sulphurea Pers. syn.* 69. 691. *Albert. et Schwein. p.* 364. *M. pulla. Pers. syn. p.* 692. *Albert. et Schwein. p.* 364.

Div. 8. Grisei, floccis sporidiisque griseis.

10. ASPERGILLUS *griseus.*

A. hyphasmate laniformi, sporidiis globosis.
Habitat in variis corporibus putridis per Europam.
Diagn. Lanam refert griseam parum lutescentem 2 — 3. *lin. altam, e qua emergunt flocci sporidiferi frequentes : hyphasma parum superantes. Capitulum parvum. Sporidia minuta copiosa colore a hyphasmate non diversa.*

ASPERGILLUS *penicillatus.*

A. floccis sparsis cinereis, sporidiis in series digestis.
Cfr. Penicillium sparsum.

40. PENICILLIUM.

Hyphasma decumbens. *Flocci* sporidiferi erecti apice penicillati, toti septati. *Sporidia* simplicia non didyma.

Not. Sporidia in omnibus globosa.

1. PENICILLIUM *candidum.*

P. hyphasmate tenui albo, floccis sporidiferis ramosis, sporidiis albis.
P. candidum. *Link Obs. I. p.* 15. *Pers. myc.* 1. *p.* 41.
Habitat in fungis herbisque putridis frequens per totam Europam. (*v. v.*)
Diagn. Hyphasma instar telae araneae corpora putrescentia obducit, floccis sporidiferis vix lin. altis. Facile evanescit, ita ut conservari nequeat.

2. PENICILLIUM *roseum.*

P. hyphasmate tenui albo, floccis sporidiferis subramosis, sporidiis roseis.
P. roseum. *Link Obs. II. p.* 37. *Pers. myc.* 1. *p.* 41.
Habitat in caulibus plantarum siccis. Lectum in caule Solani tuberosi in Franconia (*Nees ab Esenbeck*). (*v. v.*)

Diagn. A praecedente colore roseo differt. Collabuntur flocci, tum nil remanet nisi sporidia rosea, quae pallescunt quidem, at colorem roseum non plane perdunt.

3. PENICILLIUM *glaucum.*

P. hyphasmate magis minusve crasso albo, floccis sporidiferis subramosis, sporidiis globosis albis demum glaucis.

P. glaucum. *Link Obs. I. p.* 15. *Pers. myc.* 1. *p.* 40.

P. expansum. *Link Obs. I. p.* 15. *II. p.* 37. *Nees fung. p.* 59. *f.* 59. *Mart. erlang. p.* 344.

Mucor glaucus. *Linn. Sp.* 1656.

Monilia digitata. *Pers. syn. p.* 692. *Albert. et Schwein. p.* 364. *Schumach. saell.* 2. *p.* 239.

Mucor penicillatus. *Bulliard champign. p.* 107. *t.* 504. *f.* 11.

Aspergillus nr. 3. *Michel. gen. p.* 212. *t.* 91. *f.* 3.

Habitat in corporibus putrescentibus non solum Europae, *sed fere totius mundi. In oasi (nunc Siwa) Africae desertae observavit Ehrenberg. (v. v.)*

Diagn. In corporibus putrescentibus mollibus frequentissima plantula, praesertim luxuriat in iis quae saccharo condita sunt, aut gummi arabico repleta, ubi hyphasma densum instar pellis format, ante evolutionem floccorum sporidiferorum pro Sporotrichum habendum, cum granula alba sint inspersa. In corporibus durioribus hyphasma minus densum est, in quibusdam tenuissimum, quae olim nomine P. glaucum distinxi. Cum granula glauca deciderint, totum hyphasma colorem glaucum induit. Facile collabitur et corrumpitur et ultimo stadio pulverem nigrum format.

4. PENICILLIUM *sparsum.*

P. hyphasmate obsoleto, floccis sporidiferis sparsis cinereis.

Aspergillus penicillatus. *Grevill. scot. cryptog. fl.* 1. *no.* 32.

Habitat in graminibus putrescentibus in herbario. Lat. Scotia (Greville).

Diagn. Flocci obscure grisei distincti gregarii at minime caespitosi longitudine ¾ lin. compositi e 2 — 5 articulis longis transparentibus. Sporidia disposita in filamenta longa moniliformia, quae in capitulum aliquantulum nutans conglomerata sunt (*Greville*).

Not. Hujus generis mihi videtur plantula dubia, nam vix crediderim eam seriem sporidiorum, absque flocco cui adnexi aut adglutinati sint consistere posse.

41. COREMIUM.

Hyphasma decumbens. *Flocci* sporidiferi erecti intricati apicibus pe icillatis toti septati. *Sporidia* simplicia (non didyma).

Not. Est Penicillium compositum. Flocci enim sporidiferi intricati pedicellum formant, plura sporisoria in apicibus penicillatis sustinentem.

1. COREMIUM *glaucum.*

C. caespite effuso, thallo sordide lutescento, sporidiis globosis demum glaucis.

C. glaucum. *Link Obs. I. p.* 19. *f.* 31. *Pers. myc.* 1. *p.* 42. *Mart. erlang. p.* 365.

Habitat in fructibus corruptis Germaniae. *Lectum prope Rostochium* (*Lk.*). *Erl.* (*Mart.*) (*v. v.*)

Diagn. Late serpit Penicillii instar hinc inde stipites crassiusculos proferens e floccis intricatis multa sporisoria sparsa sustinens. Sporidia mox glaucescunt.

2. COREMIUM *candidum.*

C. caespite effuso, thallo candido, sporidiis globosis concoloribus.

C. candidum. *Nees fung. p.* 87. *f.* 86. *Mart. erlang. p.* 365. *Pers. myc.* 1. *p.* 43.

Habitat in fructibus corruptis Germaniae *frequens. Lectum Rostochii, Berolini, in Franconia* (*v. v.*)

Diagn. A praecedente non differt nisi colore, et forte in juniore est statu.

3. COREMIUM *citrinum.*

C. caespite effuso, thallo citrino, sporidiis concoloribus.

C. citrinum. *Pers. myc.* 1. *p.* 43.

Monilia Penicillus. *Pers. syn. fung. p.* 692. *Obs. mycol.* 2. *p.* 34. *t.* 4. *f.* 2. *Schumach. saell.* 2. *p.* 239.

Habitat in muscerdis in Germania. (*Persoon*). *Plantulam non vidi.*

Coremium leucopus. *Pers. myc.* 1. *p.* 42. *valde dubium est.*

42. CAMPSOTRICHUM.

Hyphasma nullum. *Flocci* sporidiferi erecti ramosi non septati. *Sporidia* simplicia (non didyma).

1. CAMPSOTRICHUM *unicolor.*

C. floccis dense aggregatis totis atris, sporidiis concoloribus.

C. unicolor. *Ehrenberg Hor. beroliu. p.* 83. *t.* 17. *f.* 2.

Habitat in folio coriaceo arboris cujusdam ignotae. Ex itinere attulit de Chamisso. (*v. s.*)

Diagn. Acervuli inaequales nigri circiter duas lineas lati parum elevati in folii pagina inferiore nati. Flocci nigri obscuri rigidi ramosi, ramis dichotomis recurvis flexuosis patulis longiusculis capitulum formantibus. Sporidia subovalia nigra interdum inter ramos apicales in acervulos collecta rara pellucida.

2. CAMPSOTRICHUM *bicolor.*

C. floccis dense aggregatis atris, extremitatibus pellucidis, sporidiis rufo-fuscis.

C. bicolor. *Ehrenberg Jahrbücher d. Gewächskunde. H.* 2. *p.* 51. *t.* 1. *f.* 4. *Pers. myc.* 1. *p.* 20.

Ceratonema bicolor. *Pers. myc.* 1. *p.* 49. *hujus videtur loci.*

Habitat in Usnea plicata in Germania. *Lectum in sylvis Varisciae* (*Ehrenberg*). (*v. s.*)

Diagn. Usneae destructae ramos fractos et comminutos ambit, tomenti instar, floccorum rigidorum ac ramosorum laxa compage, coloreque olivaceo-nigro. In charta alba tritum colorem huic tribuit rufo-fuscum a sporidiis delabentibus oriundum. Sub microscopio composito apparent flocci implexi opaci ramosi rigidi breves flexuosi, altera parte crassiores altera graciliores, ramulis divaricatis brevibus incurvis iisdemque ramosis. Ramorum ramuli sunt brevissimi curvi apice pellucidi. Sporidia magna ramorum apicibus multo crassiora subovata pellucida. Affixos floccos non observavit Ehrenberg, putat tamen (Hor. berol. p. 83.) fuisse fungum aetate provectum et inde floccos a loco natali recessisse.

43. PHYCOMYCES.

Flocci decumbentes simplices non septati. *Sporidia* oblonga circa apicem clavatum collecta.

1. PHYCOMYCES *nitens.*

Ph. floccis caespitosis intricatis olivaceis nitentibus, sporidiis oblongis flavicantibus.

Ph. nitens. *Kunze et Schmidt Mycol. Hfte* 2. *p.* 113. *t.* 2. *f.* 9.

Ulva nitens. *Agardh syn. Algar. scand. p.* 46. *Spec. Algar.* 1. *p.* 425.

Habitat in muris et trabibus ubi oleum pingue exprimitur et conservetur in Europa. *Lectum in Finnlandia (Agardh) circa Lipsiam et Dresdam (Kunze).*

Diagn. Flocci ad 3—4 *poll. longi crassitiem habent pili equini, teneri nitentes quasi oleo imbuti. Color obscure olivaceus, quem assumit aqua adfusa. Flocci cylindrici, cum exsiccantur, collabuntur, plani fiunt et plicati, nec aqua ad pristinum statum reducuntur, quia non resorbetur. Chartae non adhaerent flocci et tactu pingues permanent. Oculis nudis globuli dilutius virescentes conspiciuntur, qui sub microscopio composito granulosi apparent et adfusa aqua magnam copiam sporidiorum diaphanorum dimittunt. Remotis sporidiis apparet apex septo a reliquo flocco distin-*



IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)



Photographic
Sciences
Corporation

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503


2.8
3.2
3.6
4.0
2.5
2.2
2.0
1.8
1.1
1.0

ctus et facile solvendus pyriformis cavus fusco-viridio. Num priore statu sporidia inclusa? (*Kunze.*)

SERIES IV.

Sporidia floccis semper innata aut adnata.

44. ACREMONIUM.

Flocci ramosi toti septati. *Sporidia* simplicia (non septata) apicibus ramorum innata.

1. ACREMONIUM *verticillatum.*

A. thallo tenui effuso, floccis dense intricatis albis, ramulis sporidiferis verticillatis, sporidiis ovalibus concoloribus.

A. verticillatum. *Link Obs. I. p.* 13. *f.* 20. *Nees fung. p.* 45. *f.* 39. *Pers. myc.* 1. *p.* 27. *Mart. erlang. p.* 339.

Habitat in truncis putridis Pinorum Germaniae. *Lectum Rostochii* (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn. Truncos Pinorum late saepe investit, tomento sat denso implicato. Flocci teneri et longi, rami plerumque quaternis. Sporidia minuta.

2. ACREMONIUM *alternatum.*

A. thallo tenuissimo effuso, floccis laxe intricatis albis, ramulis sporidiferis alternis, sporidiis globosis.

A. alternatum. *Link Obs. I. p.* 13. *Ditmar in Sturms Abbild. d. Pilze. H.* 1. *t.* 3. *Mart. erlang. p.* 339. *Pers. myc.* 1. *p.* 27.

Habitat in foliis dejectis in Germania. *Lectum Rostochii* (*Ditmar*). *Erl.* (*Mart.*) (*v. v.*)

Diagn. Folia dejecta saepe tota thallo tenuissimo instar telae araneae obducit. Sub microscopio composito sporidia valde minuta globosa in apicibus ramulorum brevium apparent.

3. ACREMONIUM *fuscum.*

A. thallo expanso fusco, ramulis approximatis alternis oppositisque, sporidiis globosis concoloribus.

A. fuscum. *Kunze et Schmidt Mycol. Hfte* 1. *p.* 79. *t.* 2. *f.* 23. *Pers. myc.* 1. *p.* 27.

Habitat in ligno Abietis semiputrido Germaniae. *Lectum Lipsiae (Kunze et Schmidt).*

Diagn. A praecedentibus colore fusco distinguitur. Thallus lignum obducit instar telae araneae tenuis. Ramuli frequentes plerumque alterni, interdum oppositi.

4. ACREMONIUM *nitidum.*

A. thallo limitato coccineo.

A. nitidum. *Martius fl. crypt. erlang. p.* 339.

Habitat in fungis exsiccatis sylvarum Germaniae. *Lectum in Sphaeria deusta super truncum in sylva Rosbacensi prope Erlangam (Martius).*

Diagn. Acervuli conferti oblongi a dimidia ad duas lin. longi pulchre coccinei angusti aut latiusculi sub pulvinati. Ramulorum situm sporidiorumque formam non adnotavit Martius.

Not. Ad hoc genus pertinere videtur Himantia globulifera Schumach. saell. 2. *p.* 444. *nisi Mucor fuerat.*

45. VERTICILLIUM.

Hyphasma decumbens saepe obsoletum. *Flocci* sporidiferi erecti toti septati. *Sporidia* simplicia non septata apicibus ramorum innata.

1. VERTICILLIUM *tenerum.*

V. hyphasmate tenero floccis sporidiferis aggregatis rubro griseis, ramis ternis patentibus, sporidiis globosis albis.

V. tenerum. *Nees fung. p.* 57. *f.* 55.

Botrytis tenera. *Pers. myc.* 1. *p.* 38.

Habitat in caulibus plantarum exsiccatis sero autumno. Lectum in caulibus Alceae roseae in Franconia (Nees).

Diagn. Nudis oculis stratum farinaceum sistit, sub microscopio tomentum tenue refert pluvia dejectum Acremonium mentitur. Aqua adfusa sporidia celerrime aufugiunt. Verticilli ramorum 3—4, terminalibus exceptis; rami sporidiferi breves.

2. VERTICILLIUM *capitatum.*

V. hyphasmate obsoleto, floccis sporidiferis caespitosis albis, ramis circa apices collectis, sporidiis globosis.

V. capitatum. *Ehrenberg. sylv. mycol. p.* 13. 25.
Botrytis capitata. *Pers. myc.* 1. *p.* 38.

Habitat in truncis arborum putridis ad excrementa larvarum. Lectum Berolini (Ehrenberg). (v. v.)

Diagn. Fasciculos minutissimos floccorum albos format hinc inde sparsos. Ramuli circa apices rari, in quibus sporidia pellucida.

Not. Botrytis acinorum Pers. myc. 1. *p.* 38. *fasciculata, stipitibus rectis subglaucis ramulis utplurimum ternis verticillatis terminato, sporulis albido-griseis, in uvulis putrescentibus frequens vix hujus loci est.*

EPOCHNIUM.

Flocci ramosi intricati. *Sporidia* uniseptata in floccorum apicibus.

V. Seriem I.

Ad primam seriem nonnisi tum pertinere videtur cum flocci soluti fuerint a sporidio, cui tantum appendiculus remanet.

BACTRIDIUM.

Flocci ramosi. *Sporidia* extremitatibus hyalinis, medio materia grumosa referta, apicibus floccorum innata.

V. Seriem I.

Hoc quoque genus ad Seriem I. nonnisi statu adulto aut potius decrepito pertinere videtur.

46. DACTYLIUM.

Hyphasma obsoletum. *Flocci* sporidiferi erecti, *sporidiis* terminalibus septatis.

1. DACTYLIUM *candidum.*

D. floccis aggregatis simplicibus albis, septatis, sporidiis 2—5 oblongis concoloribus.

D. candidum. *Nees fung. p.* 58. *Pers. myc.* 1. *p.* 40.

Habitat in corticis secedentis pagina interiore trunci Quercus putridi in Germania. *Lectum in Franconia (Nees). (v. s.)*

Diagn. Nudo oculo inspectus cortex videtur pulvisculo albo instratus. Flocci cortici arcte adnati sunt, evidenter septati non pellucidi. Sporidia varia copia adnascuntur, forsan quia facile delabuntur, pro fungilli magnitudine magna.

2. DACTYLIUM *nigrum.*

D. floccis sparsis simplicibus nigris non septatis, sporidiis binis pluribusve oblongis nigrescentibus.

Habitat in ligno putrido exsiccato. Lectum Rostochii (Ditmar). (v. v.)

Diagn. Instar pulveris subtilissimi nigri ligno incumbit. Flocci arcte adnati ita ut a ligno facile separari nequeant, opaci, articulis brevissimis ut moniliformes appareant, nigerrimi. Sporidia subpellucida ita ut septa transluceant.

47. STACHYLIDIUM.

Hyphasma decumbens. *Flocci* sporidiferi erecti toti septati. *Sporidia* lateralia opposita aut verticillata.

Not. Sporidia maxima sunt, ita ut ramos esse putes. Interdum quoque granulis minimis inspersa videntur. Sed hujusmodi granula in multis aliis Mucedinibus occurrunt, ubi vera sporidia adsunt, et rami multarum Mucedinum in sporidia transeunt.

1. STACHYLIDIUM *terrestre.*

St. hyphasmate tenui albo, floccis ramosis, sporidiferis simplicibus albis, sporidiis verticillatis oblongis concoloribus.

St. terrestre. *Link Obs. I. p.* 73. *f.* 21. *Martius erlang. p.* 343.

Botrytis terrestris. *Pers. myc.* 1. *p.* 38.

Habitat in terra locis sylvaticis in Germania. *Lectum Rostochii (Lk.), Erlangae (Martius). (v. v.)*

Diagn. Instar telae araneae terram late obducit in ericetis non infrequens. Eminent flocci erecti brevissimi. Sporidia plerumque quaterna oblonga sat magna ut ramuli videri possint, 2—3, verticillos versus apicem floccorum constituentia. Granula alba non solum sporidiis sed quoque hyphasmati incumbuns. Facile evanescit.

2. STACHYLIDIUM *bicolor.*

St. hyphasmate crassiusculo, floccis complicatis densis griseis, sporidiferis simplicibus, sporidiis oppositis verticillatisque albis.

St. bicolor. *Link Obs. I. p.* 13.

Botrytis bicolor. *Pers. myc.* 1. *p.* 37.

Habitat in caulibus exsiccatis herbarum aestate et autumno in Germania. *Lectum Rostochii (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Hyphasmate crassiusculo griseo longe lateque caules exsiccatos e. g. Rhei undulati investit. Accuratius inspectum flocci erecti albi nudo jam oculo occurrunt. Sub microscopio composito granula hyphasmati incumbentia reperiuntur.

Not. An Dematium verticillatum Hoffmann Fl. germ. ed. 2. *t.* 13. *Pers. syn. p.* 694? *quod simillimum est et quoque in caulibus herbarum putrescentium reperitur. At auctores de colore albo floccorum erectorum, qui facile animadvertitur, nil referunt.*

48. SPONDYLOCLADIUM.

Hyphasma nullum. *Flocci* sporidiferi erecti simplices aut subramosi moniliformes. *Sporidia* lateralia opposita aut verticillata.

1. SPONDYLOCLADIUM *fumosum.*

Sp. floccis aggregatis fusco-nigricantibus, sporidiis oblongis.

Sp. fumosum. *Mart. erlang. p.* 354. 355.

Dematium verticillatum? *Pers. syn. p.* 694. *myc.* 1. *p.* 16. *Hoffm. fl. germ.* 2. *t.* 13.

Habitat in lignis putridis vel exsiccatis praesertim herbarum, in Germania. *Lectum circa Erlangam.*

Diagn. Flocci minuti vix dimidiam vel tertiae lineae partem aequantes aggregati et saepe effuso agmine ligna vetusta obtegentes erecti stricti basi simplices, superne hinc inde in ramulos aliquot divisi, sporidiis (ramulis sec. Martius) verticillatis quaternis instructi, in articulos aequales subglobosos constricti indeque moniliformes opaci sub lente composite obscure fusco-nigricantes, toto caespitulo fumoso-nigro, vel, si senio confecti sint cinerascentes (Martius).

SERIES V.

Sporangia floccis innata et adnata.

49. EUROTIUM.

Flocci omnes decumbentes ramosi. *Sporangia* dehiscentia adnata.

1. EUROTIUM *herbariorum.*

E. thallo effuso, thallo flavo ferrugineo, sporangiis flavis.

E. herbariorum. *Link Obs. I. p.* 29. *f.* 44. *Nees fung. p.* 95. *f.* 97. *Mart. erlang. p.* 369.

Monilia nidulans. *Roth germ.* 1. 559.

Mucor herbariorum. *Wiggers Primit. Fl. Holsat. p.* 111. *Schumach. saell.* 2. *p.* 238. *Pers. syn. p.* 202.

Mucor IV. nr. c. *Gleditsch. Meth. Fung. p.* 162.

Mucor globosus flavus. *Hall. Hirt. nr.* 1257.

Habitat in partibus vegetabilium putrescentibus siccioribus, frequens in herbariis, per totam Europam. (*v. v.*)

Diagn. Sporangiis grana Panici miliacei fere aequantibus flavis facile distinguitur. Tomentum laxum lanaeforme varie serpit et latas subinde plagas occupat, in ramis foliisque plantarum siccatarum, sed quoque in cortice lignoque.

Not. E. opixylum. Schmidt et Kunze Deutschlands Schwämme. 4. Liefer. n. 83. vix differt. Varietatem floccis magis rubentibus ut fere aurantiaci sint prope Berolinum legit cl. Ehrenberg.

2. EUROTIUM *fructigena.*

E. thallo effuso testaceo fuscescente, sporangiis ellipticis citrinis.

E. fructigenum. *Martius erlang. p.* 368.

Habitat in fructibus putridis in Germania. *Lectum in fructibus Fuchsiae coccineae Erlangae unica vice (Martius).*

Diagn. Sporangia in globulos minutissimos vix quartam lineae partem latos conferta obtusa pallide citrina, sporas crebras globosas pellucidas foventia. Thallus valde tener, e floccis vix rite conspiciendis dense contextus colore pallide testaceo vel in fuscum vergente. Praecedente specie multo minor (Martius).

50. MUCOR.

Hyphasma decumbens saepe laniforme. *Flocci* sporangiferi erecti ab hyphasmate saepe non discreti. *Sporangia* aut rumpentia aut siccando persistentia.

Not. 1. Sporangia in quibusdam exsiccando deplanato fiunt et subtus umbilicata, in aliis dehiscunt quandoque invertuntur sporis globosis viscosis ibi remanentibus, in aliis defluunt.

Not. 2. Thallus saepissime albus, sporangia initio plerumque alba, tum maturando colorantur.

Div. 1. Hyphasmate manifesto.

1. MUCOR *funetarius.*

M. hyphasmate laniformi, floccis albis sporangiferis ramosissimis, sporangiis globosis indurantibus deplanatis subtus umbilicatis nigris.

M. fimetarius. *Link Obs. I. p.* 29.

Habitat in stercore vaccino in Germania. *Lectus circa Rostochium (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Latos efformat caespites, 1—2 *lin. altos, lanam candidissimam referens in qua sporangia nigra statim conspiciuntur. Flocci sporangiferi ab hyphasmate vix discreti. Floccis fere totis evanidis sporangia persistunt. Spora globosa.*

2. MUCOR *truncorum.*

M. hyphasmate laniformi, floccis albis sporangiferis ramosis, sporangiis globosis indurantibus deplanatis subtus umbilicatis fuscis.

M. truncorum. *Link Obs. I. p.* 28.

Habitat in truncis putrescentibus Germaniae. *Lectus prope Rostochium (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Caespites sat magnos efficit truncos putrescentes investientes, floccis laxe dispositis. Ab hyphasmate flocci sporangiferi vix discreti, sporangiis fuscis diu persistentibus. Peridium sporangii tenuissimum, ita ut spora exacte globosa per ipsum conspiciatur.

3. MUCOR *rufus.*

M. hyphasmate laniformi, floccis albis sporangiferis ramosis, sporangiis globosis primo albidis dein rufo-fuscescentibus nigrisve.

M. rufus. *Pers. syn. p.* 200.

M. ramosus. *Bull. champign. p.* 116. *t.* 480. *f.* 3. *De Cand. fr.* 2. *p.* 248.

Habitat in variis corporibus putrescentibus in Europa. *Lectus in fungis putrescentibus in Gallia (Bulliard), in pyris putrescentibus Berolini (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Caespites format sat expansos. Oculo nudo sporangia et floccorum sporangiferorum divisiones conspiciuntur. Sporangia sphaerica initio alba et diaphana, tum rufescentia, tandem fusca. Sporae globosae diaphanae fuscae et majores quam Mucoris sphaerocephali (Mucoris ascophori).

4. MUCOR *ferrugineus.*

M. hyphasmate laniformi, floccis dense intricatis albis, sporangiferis ramosis, sporangiis minutis ferrugineis.

Habitat in pasta e sulphure depurato pulverato et tartaro depurato compacta in Germania. *Lectus Berolini* (*Ehrenberg*). (*v. v.*)

Diagn. Tomentum densum constituit at fugax, saltem valde collabens. Flocci sporangiferi a reliquis non distincti. Sporangiis minutis ferrugineis discernitur.

5. MUCOR *carnis.*

M. hyphasmate laniformi, floccis dense intricatis albis, sporangiferis ramosis, sporangiis minutis ex olivaceo fuscescentibus.

Habitat in carne assata in Germania. *Lectus Berolini* (*Ehrenberg*). (*v. v.*)

Diagn. Tomentum densum constituit aetate collabens. Sporangiorum colore a praecedente differt.

6. MUCOR *gracilis.*

M. hyphasmate elevato, floccis ramosis gracilibus albis, sporangiis minutis e fusco et griseo nigrescentibus.

Habitat in pane mellito aliisque eiusmodi corporibus corruptis in Germania. *Lectus Berolini* (*Ehrenb.*) (*v. v.*)

Diagn. Praecedentibus valde similis at flocci multo graciliores minus dense intricati. An var.?

7. MUCOR *Juglandis.*

M. hyphasmate laniformi, floccis albis sporangiferis ramosis brevibus, sporangiis globosis flavis demum verrucosis.

M. Juglandis. *Link Obs. I. p.* 18.

Habitat in nucleis Juglandum rancidis. Lect. Rostochii (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn. Caespites format haud longe effusos breves vix lin. altos. Flocci sporangiferi ab hyphasmate vix discreti. Sporangia diu colore flavo persistunt. Spora globosa.

8. MUCOR *flavidus.*

M. hyphasmate laniformi, floccis albis, sporangiferis ramosis, sporangiis globosis lutescentibus dein griseis.

M. flavidus. *Pers. syn. p.* 199. *Observ. myc. p.* 95. *t.* 6. *f.* 5. *Schumach. saell.* 2. *p.* 237. *Nees fung. p.* 82. *f.* 76. *Mart. erlang. p.* 361.

Byssus stipite ramoso-racemato. *Schmiedel ic. pl. man.* 3. *p.* 203. *t.* 52. *f.* 2.

Habitat in fungis putrescentibus Germaniae. *Lectus prope Göttingam (Persoon) in Franconia (Nees, Martius).*

Diagn. Fungos putrescentes superne nonnunquam Byssi ad instar obtegit. Peridia (sporangia) colore ab initio eleganter flavo, dein coerulescenti cinerea evadunt. Sporulae globosae albidae (Persoon).

9. MUCOR *pygmaeus.*

M. hyphasmate laniformi, floccis intricatis albis demum fuscescentibus, sporangiferis ramosis, sporangiis parvis fuscescentibus.

Habitat in pasta e sulphure depurato pulverato et seminibus anisi pulveratis composito in Germania. *Lectus Berolini (Ehrenb.) (v. v.)*

Diagn. Tomentum sat densum efficit quod demum valde fuscescit et hoc colore quamvis collapsum persistit. Hac nota facillime distinguitur. Sporangia parva ut in praecedentibus fusca.

Not. Hujus an varietatem, an propriam speciem in pane invenit cel. Ehrenberg, hyphasmate minus fuscescente minusque dense intricato.

10. MUCOR *terrestris.*

M. hyphasmate laniformi, floccis albis, sporangiferis subramosis, sporangiis globosis albis.

Habitat in Confervis effoetis terrae instratis. Lectum Berolini (Lk.). (v. v.)

Diagn. Cum Confervis effoetis cui innascitur tomentum efficit crassiusculum densum tactu molle album terrae instratum. Sub microscopio composito flocci conspiciuntur majores membranacei simplices albi, qui ad shallum effoetum Confervae cujusdam terrestris per-

tinere videntur. His ubique insident flocci breves parum ramosi septati albi multo tenuiores. Sporangia globosa alba minuta colorem non mutantia.

11. MUCOR *lateritius.*

M. hyphasmate laniformi, floccis dense intricatis aurantiacis, sporangiis minutis concoloribus.

Habitat in pane mellito in Germania. *Lectus Berolini* (*Ehrenberg*). (*v. v.*)

Diagn. Tomentum constituit colore suo, dum recens est, facile dignoscendum, at aetate flavescens. Sporangia inter minima hujus generis referenda.

12. MUCOR *fodinus.*

M. hyphasmate stupiformi effuso crassissimo, floccis fuscis, sporangiferis parum ramosis, sporangiis concoloribus.

Racodium fodinum. *Pers. myc.* 1. *p.* 68.

Habitat in fodinis salis culinaris in Helvetia *prope Bex* (*Schleicher*) *in cellis Parisiis* (*Beauv. test. Persoon*) *muris adhaerens.* (*v. s.*)

Diagn. Singularis magnitudine et crassitie thalli ab omnibus distinctus, ita ut vix crederes hucp ertinere. Tomentum efficit tactu molle fuscum Boleto fomentarie praeparato simile at mollius, infra album, procul dubis ab adhaerente fungo, cui innatus est. Sub microscopio composito apparent flocci rarius septati valde intricati elongate at parum ramosi. Sporangia globosa sporis non minus globosis per peridium conspicuis.

13. MUCOR *oosporus.*

M. hyphasmate effuso, floccis laxis intricatis albis, sporangiferis subsimplicibus sporangiis globosis, sporisque oblongis concoloribus.

Habitat in merda canina exsiccata in Germania. *Lecta Rostochii* (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn. Late obducit merdam caninam induratam tela quasi gossypina. Flocci sporangiferi supra reliquos

non valde eminent. Aqua admota sporangium statim dissilit, sporasque oblongas effundit.

Not. Ne confundatur cum Mucore canino, plantula uti videtur, diversa.

14. MUCOR *Mucedo.*

M. hyphasmate effuso, floccis intricatis albis, sporangiferis simplicibus, sporangiis sporisque globosis concoloribus demum nigrescentibus.

Mucor Mucedo. *Mart. fl. crypt. erlang. p.* 361. *Bolt. funguss. T.* 3. *n.* 165. *t.* 132. *f.* 1. *h. v. l.*

Habitat in variis corporibus putrescentibus, carne cocta et assata nec non pane cocto in Europa *et* Africa. *Lecta in Anglia, Germania, nec non Cahirae in pane fortiter cocto* (*Ehrenb.*) (*v. v.*)

Diagn. Corpora putrescentia tela crassa gossypina tegit, floccis sporangiferis eminentibus. Sporangia alba tum nigrescentia semper globosa, qua nota a sequente distinguitur.

Not. Mucor Mucedo Pers. syn. p. 201. *tam α quam β ad Mucorem ascophorum pertinere videntur.*

15. MUCOR *ascophorus.*

M. hyphasmate laniformi, floccis albis sporangiferis erectis simplicibus, sporangio demum nigrescente deplanato convexo.

Mucor Mucedo. *Pers. syn. p.* 201. *Albertini et Schweinitz nisk. p.* 356. *de Cand. fr.* 2. *p.* 240. *Schumach. saell.* 2. *p.* 237.

Mucor sphaerocephalus. *Bulliard champ. p.* 112. *herb. t.* 480. *f.* 2.

Mucor roridus. *Willden. Usteri Botan. Mag.* 4. *p.* 1.

Ascophora Mucedo. *Tode meckl.* 1. *p.* 13. *t.* 3. *f.* 22. *Albert. et Schwein. nisk. p.* 356. *Link obs. I. p.* 28. *Nees fung. p.* 83. *f.* 80. *Mart. erlang. p.* 362.

Habitat in variis corporibus putrescentibus Germaniae. *Lectum in Ducatu Megapolitano circa Pritzier* (*Tode*), *Rostochii* (*Ditmar*), *etc.* (*v. v.*)

Diagn. Hyphasma magis minusve crassum corpora putrescentia late obducit. Eminent ex hyphasmate flocci longi sporangia parva nigrescentia gerentes quae ac-

curate inspecta convexa apparent sporulis quibusdam inspersis. Juniora aquea sunt et pellucida sporulas continentia, nec extus gerentia uti Todius voluit. Sporangium exsiccari inflecti et convexam, fieri, simul rumpi, partem vero superiorem evanescere inferiorem persistere, auctor mihi est Ditmarus, observator acutissimus. Formas quas sistit Todius plerasque nos non vidimus.

Not. 1. *Mucor roridus Bolt. fung. ed. germ.* 3. *p.* 67. *t.* 132. *f.* 4. *qui Pilobolus roridus Pers. syn. p.* 118. *hujus loci videtur, et capitulum observatum tempore quo nigrum induit colorem. Mucor vero roridus Willd. in Usteri Bot. Mag.* 4. *p.* 18. *f.* 17. *alienus sane ob stipitem brevissimum sed dubius.*

Not. 2. *De reliquis Ascophorae Todii speciebus viz aliquid certi affirmare licet. Ascophora disciflora p.* 16. *t.* 3. *f.* 6. *sine dubio est Phragmidium Rosae, Rubive et Auctor ipse Pucciniis affinem credit speciem. At fungillum sat bene conspicuum male descripsit et pinxit, ut crediderit, usum esse microscopiis haud satis objecta augentibus, minus exercitatum fuisse in observando et rudem sane in delineando. Habet* 1) *A. Mucedinem,* 2) *A. fragilem t.* 3. *f.* 23, 3) *A. stilbum t.* 3. *f.* 24., 4) *A. ovalem s. Ascidium ovatum, Schrift. d. Berlin. Gesellsch. Ntrforsch. Frde. V.* 3. *p.* 247. *t.* 4. *f.* 4—6. *seu Ascophoram perennem Pers. syn. p.* 685, *quae vero nil nisi ova Hemerobii Perlae Linn.* 5) *A. cylindricam s. Ascidium cylindricum, Schr. d. B. G. N. Frde. V.* 3. *p.* 248. *t.* 4. *f.* 7—9. 6) *A. limbifloram t.* 3. *f.* 28. *supra dictam.*

Div. 2. *Hyphasmate obsoleto.*

16. MUCOR *tenuis.*

M. hyphasmate tenuissimo, floccis albis, sporangiferis erectis crassiusculis, sporangiis globosis nigris.

Habitat in pomis exsiccatis putrescentibus in Germania. *Lectus Berolini (Ehrenberg). (v. v.)*

Diagn. Flocci sparsi apparent in pomis siccatis coctis, breves. Hyphasma e floccis sparsis laxe dispositis. Flocci sub microscopio composito breves quidem at pro magnitudine crassi. Sporangium adfusa aqua rumpitur et sporam copiosam globosam pellucidam emittit.

17. MUCOR *cyanocephalus.*

M. hyphasmate obsoleto, floccis albis sporangiferis simplicibus rectis basi dilatatis, septis quaternis approximatis, articulis pellucidis, sporangio elliptico pallide coeruleo.

H. cyanocephalus. *Martius in Act. Acad. Leopold. Carol.* 10. *p.* 505. *t.* 46. *f.* 1.

Habitat in ligno putrido Americae meridionalis. *Lect. in Triplaris Americanae ligno per sylvas humidas, Flumini Amazonum inhorrescentes* (*Martius*).

Diagn. Flocci 4 — 5 *lin. longi erecti, ob septa quaternatim approximata obscuri, basibus paullulum dilatatis satis tenaciter in ligno putrido radicantes, laxiusculi, saepius in* 4 — 6 *poll. spatium digesti. Sporangium* $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{2}$ *lin. longum ellipticum obtusum constans membrana tenuissima fugaci, interdum carunculas minimas ejectis sporis formante, colore pallide coeruleo. Sporae ipsae minutissimae angusto ellipticae vix pellucidae.* (*Mart.*)

18. MUCOR *arcuatus.*

M. hyphasmate obsoleto, floccis albis, sporangiferis simplicibus arcuatis, septis valde approximatis, articulis obscuris, sporangio globoso nutante viridi.

M. arcuatus. *Mart. Act. Acad. Leop.* 10. *p.* 505. *t.* 46. *f.* 2.

Habitat in foliis putridis Americae meridionalis. *Lecta in Cecropiae peltatae foliis prope Rio Negro.* (*Martius.*)

Diagn. Caespites saepe 6 *poll. longi latique irregulari ambitu foliis innascentes. Flocci laxiuscule positi, omnes arcuati inque unum latus flexi, diametro aequales, ob parvam septorum tenuissimorum distantiam cinerascentes.* 2 *lin. longi. Sporangium globosum vel interdum pyriforme, viride nitens et maturis sporis citissime diffluens. Sporae majusculae rhomboideo-ellipticae.* (*Mart.*)

19. MUCOR *aureus.*

M. hyphasmate obsoleto, floccis aureis, sporangiferis simplicibus brevibus septis duobus tribusve, sporangioque globoso pulcherrime aureo.

M. aureus. *Martius Act. Leopold. Carol.* 10. *p.* 506. *t.* 46. *f.* 3.

Habitat supra ligna emortua inque caulibus Caroludovicarum Americae meridionalis. *Lecta in pluribus locis, Fluminis Japura confinitis (Martius).*

Diagn. Caespites parvuli, vix ⅓ *poll. partem aequantes suborbiculares convexi supra ligna putrida laxe sparsi substantia tenaciori quam in congeneribus indeque post floccorum sporangiferorum collapsum Gastromycetem simulantes. Flocci singuli aegerrime separandi trium solummodo septorum colore aureo, uti sporangium quod globosum ratione flocci magnum magnis sporis forctum, plerumque a medio fissum tum diffluens.*

20. MUCOR *carneus.*

M. hyphasmate obsoleto, floccis parvis subrectis dichotomis albis, peridio dehiscente collabente, sporis primum albis dein carneis.

Polyactis carnea. *Ehrenb. sylv. p.* 13. 25.

Botrytis carnea? *Schumach. saell.* 2. *p.* 238.

Habitat in foliis Pinorum putridis post pluvias in sylvis Germaniae. *Lecta Berolini im Thiergarten (Ehrenberg). (v. s.)*

Diagn. Post peridii fugacissimi interitum sporae remanentes et accumulatae Botrytin mentiuntur. Flocci brevissimi, ita ut sporis rubris dignoscatur.

Not. Secundum cel. Ehrenberg ad Sporodinium referendus fungus aut ipsi genus propinquum constituens.

21. MUCOR *aquosus.*

M. hyphasmate obsoleto, floccis sporangiferis simplicibus aggregatis albis, sporangiis globosis aquosis pallide ochraceis.

M. aquosus. *Martius erlang. p.* 362.

Habitat in corporibus putrescentibus aqua maceratis in Germania. *Lecta in Falcone demortuo Erlangae (Martius).*

Diagn. Stipitum pars inferior aqua immersa, capitula vero emersa (Martius).

22. MUCOR *minimus.*

M. hyphasmate obsoleto, floccis sporangiferis simplicibus aggregatis rigidiusculis lutescentibus, sporangio crystallino.

Hydrophora minima. *Tode fung. mecklenb.* 2. *p.* 5. *t.* 8. *f.* 65.

Mucor? Hydrophora. *Pers. syn. p.* 202. *Nees fung.* 1. *p.* 87. 2. *p.* 22. *f.* 77.

Habitat in dejectis et exsiccatis ramulis praesertim Fagi, cortice orbatis sed ab incipiente putredine nondum exulceratis, tempore aestivo post dies pluviosos, sparsim gregatimque, in Germania. *Lect. prope Pritzier Ducat. Megapol. (Tode) in Franconia (Nees).*

Diagn. Mucor tam pusillus ut nudo oculo plane se subtrahat. Capitulum, guttula aquea limpidissima, seta ex albido-lutescente suffultum, formam initio ovalem mox in globosam mutat. Exinde fungillus per septimanas integras nullam mutationem visibilem subit, tum vero globulus contabescere incipiens, in medio magis magisque coarctatur seu comprimitur usque dum plane evanescat. De fructificatione nil certi in publicum promere possum; vidi autem capitulorum verticem saepissime flavedine quadam pergrata tinctum; quapropter ni fallacia forte, quam dicunt opticam, hic obtinet, seminum invisibilium sedes ibi quaerenda videtur (Tode. Vidi et species quasdam hac nostra majores (Idem). Sporangium primo ovale tum globosum (Nees).

23. MUCOR *tenellus.*

M. hyphasmate obsoleto, floccis sporangiferis erectis griseis tenellis, sporangiis crystallinis subpendulis.

M. tenellus? *Schumach. saell.* 2. *p.* 237.

Hydrophora tenella. *Tode fung. meckl.* 2. *p.* 6.

Mucor Aspergillus. *Scop. carn. II.* 2. *p.* 464?

Habitat post pluvias autumnales in ramulis caulibusque putridis longo ac denso agmine, in Germania. *Lecta prope Pritzier Ducat. Megapol. (Tode).*

Diagn. Altitudo nonnullarum 3—4 *lin. Styli (flocci) sporangiferi tenerrimi (simplices?). Globuli (sporangia) vel tantillum quastati illico confluunt, stipites vero una collapsi stratum tum byssinum strage sua constituunt (Tode).*

Not. ad tres ultimas species. Dubiae sunt uti omnes fere Todeanae species. Hydrophoram definit Auctor: Fungus globosus stipitatus, capitulo aqueo, stipite capillari subrecto, fructificatione ignota. Ob capitulum aqueum species Todeanas hic refero. Minus erat accuratus in observando cl. Tode, ut sporulas in sporangio vidisset.

24. MUCOR *caninus.*

M. hyphasmate obsoleto, floccis albis sporangiferis erectis simplicibus, sporangiis minutis lutescentibus.

M. caninus. *Pers. syn. p.* 201. *Obs. myc.* 1. *p.* 96. *t.* 6. *f.* 3—4. *Schumach. saell.* 2. *p.* 237. *Nees fung p.* 82. *f.* 79. *Mart. erlang. p.* 362.

Hydrophora stercorea. *Tode fung. meckl.* 2. *p.* 7. *not.?*

Habitat in stercore canino tempore hyemali pluvioso in Germania. *Lect. Goettingae (Persoon).*

Diagn. Stercus caninum saepe totum involvit, quasi Bysso albida. Flocci sporangiferi longi, laxi.

25. MUCOR *stercoreus.*

M. hyphasmate obsoleto, floccis sporangiferis erectis simplicibus cum sporangio sordide lutescentibus.

Hydrophora stercorea. *Tode fung. meckl.* 2. *p.* 6.

Lycogala petiolatum aquosum flavescens. *Hall. hist. n.* 2145.

Habitat in stercore humano imbre praevio media aestate, in Germania *Lectus prope Pritzier Ducat. Megapol. (Tode).*

Diagn. Tota planta aquosa, colore albo passim in foede luteum s. ochraceum transeunte. Capitula (sporangia) semini Sinapis aequiparanda. Styli (fl. sporangiferi) seta suilla longe crassiores erecti subarcuati triunciales ferme. Aggregate crescebat, sedem natalem agmine non interrupto occupans (Tode).

26. MUCOR *murinus.*

M. hyphasmate obsoleto, floccis sporangiferis sparsis simplicibus breviusculis, sporangio globoso luteo.

M. murinus. *Pers. syn. p.* 201.

Habitat in stercore murino aestate et autumno in umbrosis Germaniae. *Lectus prope Goettingam* (*Persoon*).

Diagn. Stipes (*Floccus sporangifer*) *fungillo nondum plane evoluto brevis et pro ratione crassus, postea ultra lin. longus. Capitula* (*Sporangia*) *exacte globosa nitentia primo pellucida; demum sub maturitatem opaca. An forte Stilbi species?* (*Persoon*).

27. MUCOR *Fimbria.*

M. hyphasmate obsoleto, floccis sporangiferis sparsis simplicibus brevibus, sporangio globoso opaco.

M. fimbria. *Nees fung. p.* 82. *f.* 78.

Habitat in Sphaeriis aestati et autumno in Germania. *Lectus in Sphaeria dryina in Franconia* (*Nees*).

Diagn. Vegetabile totum microscopicum. Sporulae non conspicuae (*Nees*).

28. MUCOR *albo-virens.*

M. hyphasmate obsoleto? floccis sporangiferis simplicibus? albo-virentibus, sporangiis globosis adultis albidis.

M. albo-virens. *Fries Obs. myc.* 1. *p.* 209.

Habitat in fungis exsiccatis Sueciae. *Lectus in Hydno aurantiaco exsiccato* (*Fries*).

Diagn. Caespitosus. Junior viridis est stipite brevi, dein stipites elongati ut peridia albicantes. Sporidia minuta numerosissima. Subpersistens. (*Fries.*)

29. MUCOR *Dematium.*

M. hyphasmate obsoleto? floccis sporangiferis simplicibus? tuberculo radiato insidentibus, sporangiis albis

M. Dematium. *Fries Obs. myc.* 1. *p.* 210

Habitat in foliis siccis in Suecia. *Lectus in foliis Hederae Helicis* (*Fries*).

Diagn. Caespitosus. Minuta species tuberculo suo facile distincta. Fugax est (Fries).

Not. An hujus generis?

30. MUCOR *stolonifer.*

M. hyphasmate decumbente tenui, floccis laxis albis, sporangiferis erectis basi unitis simplicibus, sporangio olivaceo-nigro, sporulis globosis.

M. stolonifer. *Ehrenb. sylv. p.* 13. 25.

Rhizopus nigricans. *Ehrenb. Nov. Act. Acad. Leopold. T.* 10. *P.* 1. *p.* 198. *t.* 11.

Habitat in foliis ramisque dejectis in Germania. *Lectus in foliis Vitis, ramisque Betulinis Berolini im Thiergarten (Ehrenberg). (v. v.)*

Diagn. Hyphasma format tenue, floccis laxe implexis longissimis radicantibus. Flocci sporangiferi erecti 1 — 2 *lin. alti tenues non septati, sporangio primum molli, dein indurato olivaceo. Ubi flocci e hyphasmate stolonifero exeunt, flocculi undique emergunt radicularum forma, unde Ehrenbergius proprium inde formavit genus. Cum vero ejusmodi radiculae et in aliis speciebus adesse videantur, nolui genus admittere, antequam de hac re observationes sufficientes adsunt.*

31. MUCOR *clavatus.*

M. hyphasmate decumbente tenero, floccis albis, sporangiferis erectis simplicibus intra sporangium clavatis, sporangiis fuscis nigrisve, sporis globosis aequalibus.

Habitat in pyris putridis in Germania. *Lectus Berolini* (Lk.). *(v. v.)*

Diagn. Flocci decumbentes teneri septati, erecti ad 4 *lin. longi non septati, cavi ita ut guttula affusa bullulae aëris intrent. Sporangia aqua dissiliunt.*

32. MUCOR *globifer.*

M. hyphasmate decumbente tenero, floccis albis, sporangiferis erectis simplicibus intra sporangium clavatis, sporangiis nigris, sporis globosis majoribus minoribusque.

Habitat in pyris putrescentibus in Germania. *Lectus Berolini (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Valde convenit cum praecedente et flocci erecti quoque non septati, at duplo minor. Praesertim vero distinguitur spora in eodem sporangio inaequali. Major spora in minores secedere videtur.

33. MUCOR *lutescens.*

M. hyphasmate decumbente tenero, floccis albis, sporangiferis erectis simplicibus intra sporangium subclavatis, sporangiis luteis, spora subglobosa.

Habitat in Brassicae oleraceae caulibus putridis in Germania. *Lectus Berolini (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Ad praecedentes accedit. Flocci decumbentes ramosi septati, et arecti vix septati, et apices intra sporangium obscure clavati. Sporangiis luteis dignoscitur.

34. MUCOR *fusiger.*

M. hyphasmate effuso, floccis ramosis albis, sporangiferis erectis simplicibus, sporangiis nigrescentibus, sporis fusiformibus.

M. rhombospermus. *Ehrenb. sylv. p.* 13. 25.

Habitat in fungis putrescentibus in Germania. *Lect. Berolini in lamellis Agaricorum (Ehrenberg, Lk.). (v. v.)*

Diagn. Flocci hyphasmatis laxe intricati ramosi, sporangiferi 4 lin. longi. Singularis species ob sporas, quae fusiformes utraque extremitate obtusata. Ehrenberg mutationem nominis rhombospermi in fusigerum ipse probavit (Verhandl. d. Gesellsch. naturf. Frde. Berl. T. 1. *p.* 106.)

Species obscura.

1. MUCOR *nigrescens.*

M. caespitosus, intertextus, demum stipitibus erectis peridiisque globosis fusco-cinereis diaphanis.

M. nigrescens. *Schumach. saell.* 2. *p.* 237.

Habitat in aversa parte foliorum atque in ramulis junioribus Rhamni Frangulae, sub finem aestatis.

51. SPORODINIA.

Hyphasma effusum. *Flocci* sporangiferi erecti. *Sporangium* peridio collapso sporas sustinens.

1. SPORODINIA *grandis.*

Sp. hyphasmate laxo, floccis flavo-fuscis, sporangiferis ramosis, sporangiis ovalibus.

Aspergillus globosus. *Link Obs. I. p.* 14. *f.* 15. *Ehrenb. sylv. p.* 34.

Monilia spongiosa. *Pers. myc.* 1. *p.* 30. *sec. specimen siccum.*

Habitat in fungis putrescentibus Europae. *Lecta prope Rostochium* (*Ditmar Lk.*), *Berolinum* (*Ehrenberg*), *in Gallia* (*Persoon*). (*v. v.*)

Diagn. Caespites format crassos flavo-fuscos diu persistentes, floccis crassioribus quam in plerisque Mucedinibus, ramis divaricatis. Apices ramorum clavati videntur sporidiis aggregatis. Observavit vero cel. Ehrenberg primo statu sporangium adesse cujus peridium rumpitur, collabitur et apicem clavatum efformat cui sporae ob viscositatem inhaerent. Idem vidit massam sporulosam e floccis in sporangium moveri. Sporae crebrae maximae.

SPORODINIA *carnea.*

Sp. hyphasmate obsoleto, floccis sparsis erectis dichotomis, sporis carneis.

Cfr. Mucorem carneum.

52. SYZYGITES.

Flocci erecti ramosi, sporangiis lateralibus, binis oppositis in unum coalescentibus.

1. SYZYGITES *megalocarpus.*

S. floccis primo albis lutescentibus, demum fuscescentibus cinereis, sporangiis binis pyriformibus in corpus fusiforme coalescentibus luteo-viridibus, globo seminifero medio nigro.

S. megalocarpus. *Ehrenb. sylv. p.* 13. 25. *Verhdl. d. Berlin. Gesellsch. naturforsch. Frde. T.* 1. *p.* 91. *t.* 2. 3.

Habitat in fungis putrescentibus in Germania. *Lectus Rostochii (Ditmar), Berolini im Thiergarten (Ehrenberg). (v. v.)*

Diagn. Flocci erecti tubulosi dichotomi, ad latera in locis oppositis verrucas gerentes, quae in sporangia pyriformia excrescunt. Haec sporangia apicibus connascuntur, et in corpus fusiforme concrescunt luteovirens. Tum in medio sporanginm intumescit in globum sporiferum nigrum. Sporae globosae minimae subpellucidae. Sporangium aut globus sporifer non dehiscere nec delabi videtur, sed cum toto fungo in solum demitti. Cum sporangia maturescunt, apices floccorum in fila simplicia longa rigidiuscula excrescent, an fungi peregrini?

53. PILOBOLUS.

Hyphasma obsoletum. *Flocci* sporangiferi erecti sparsi superne inflati sporangium apice projicientes.

1. PILOBOLUS *crystallinus.*

P. floccis flavescentibus superne obovatis, sporangio hemisphaerico nigro

P. crystallinus. *Tode Schrift. d. Berlin. Gesellsch. naturf. Freunde. T.* 5. *p.* 46. *t fung. meckl.* 1. *p.* 41. *Pers. obs. myc.* 1. *p.* 76. *t.* 4. *f.* 9. 10. *syn. p.* 117. *Albert. et Schwein. nisk. p.* 72. *Schumach. saelland.* 2. *p.* 188. *Fl. dan. t.* 1080. *De Cand. fr.* 2. *p.* 271. *Fries Syst. myc.* 2. *p.* 308.

Hydrogera crystallina. *Wigg. Prim. fl. Hols. p.* 110. *Roth germ.* 1. *p* 557.

Mucor obliquus. *Scop. carn.* 2. *p.* 492.

Mucor arceolatus. *Dicks. veget. crypt. fasc.* 1. *p.* 25. *t.* 3. *f.* 1. *Bolt. fung.* 3. *n.* 169. *t.* 133. *f.* 1. *Bull. champ. p.* 111. *herb. t.* 480. *f.* 1. *Sowerb. fung. t.* 300.

Habitat in fimo equino, bubulino, cervino, damino etc. in Europa. *(v. v.)*

Diagn. In fimo vernali tempore praesertim vesiculae parvae aqueae conspiciuntur hinc inde sparsae parvo stipite fultae, et accuratius adspectae sporangio parvo hemisphaerico ex olivaceo atro apice insignitae. Originem e globulo flavo, qui in stipitem extenditur observavit Persoon. Singularem modum, quo sporangium projicitur Todius praesertim observavit. Fit, si vesicula sub sporangio subito et magna vi rumpitur. Ruptionem istam perfici solis radiis, quibus contentae vesiculae incalescunt et expenduntur Persoonius auctor est. Secundum cel. Schumacher vesicula seu sporangium demum a guttula membranula tenuissima inclusa dejicitur elastice protrusa. Stipes fugacissimus est, sporangium per longum tempus persistit. Sporulas floccis intra sporangium innatas Boltonius sistit. An itaque fungus hujus familiae?

Singularem motum flocci liberi in guttula e sporangio exsudata natante observarunt Müller et Ehrenberg. Cfr. Kunze et Schmidt Mycol. Hfte 2. p. 67.

Not. Pilobolus roridus Pers. secundum iconem Boltonianam Mucori ascophoro affinis est. At planta Schumacheri differre et hujus loci videtur. Haec itaque erit.

2. PILOBOLUS *roridus.*

P. floccis elongatis filiformibus superne globosis pallescentibus, sporangio nigro.

P. roridus. *Schumach. saell. 2. p.* 188. *Fries syst. myc. 2. p.* 308.

Habitat in fimo equino cum praecedente in Europa.

Diagn. Praecedente minor et tenuior fugacissimus, pallidus, pellucidus, forma aciculae punctoriae minutae ex omni capite aequiparanda (Fries). Vesicula subtus ferruginea (Schumacher).

54. THAMNIDIUM.

Hyphasma obsoletum. *Flocci* sparsi erecti apice sporangiferi inferae vage ramosi, ramis apice sporidiferis.

Not. Varia sporangiorum et sporidiorum forma in eadem planta subinde in classe cryptophytorum animadvertitur. Num utriusque sexus initia? Num sporidia gemmulas, sporae semina sistunt?

1. THAMNIDIUM *elegans.*

Th. floccis candidis superne simplicissimis, sporangiis globosis concoloribus.

Th. elegans. *Link Obs. I. p.* 45. *Nees fung. p.* 81. *f.* 75.

Habitat in colla exsiccata et subcorrupta in Germania. *Rostochii legit Ditmar. (v. v.)*

Diagn. Flocci 2—3 *lin. alti, inferne ramosissimi, ramulis brevibus divaricatis. Sporidia minuta, sporangia multo majora peridio fugacissimo, sporis quoque sporidia magnitudine superantia.*

55. THELACTIS.

Flocci erecti apice sporangiferi superne simplices inferne et ad basin ramis verticillatis apice sporidiferis.

Not. Genus praecedenti proximum. Flocci ad basin radiculas quasi sistunt.

1. THELACTIS *flava.*

Th. floccis dense aggregatis superne hinc inde inflatis albis, sporangio globoso flavo.

Th. flava. *Martius N. Act. Ac. Leop. Car.* 10. *p.* 509. *t.* 46. *f.* 4.

Habitat in foliis Schousboeae coccineae. W. putridis aquis innatantibus in Brasilia (Martius).

Diagn. Caespites suborbiculares, diametro unguem ad pollicem usque aequantes, tandem confluentes spissi constantes floccis erectis strictis cylindricis quadriseptatis 3 *lin. altis. Septa duo superiora in bullam transverse ellipticam minimam dilatata, inferiora ramulos quatuor verticillatos arcuate-cernuos apice globulo minutissimo aucros emittentia. Ramuli infimi septati in foliis radicantes, plerumque inter se liberi (Martius).*

2. THELACTIS *virens.*

Th. floccis dense aggregatis basi dilatatis albis, sporangio conico viridi.

Th. virens. *Mart. Act. Leop. Car.* 10. *p.* 508. *t.* 46. *f.* 5.

Habitat in foliis Ari speciei, summa putredine correptis in Provincia Fluminis nigri in Brasilia (*Mart.*).

Diagn. Acervuli minutissimi elliptici sparsi. Flocci erecti superne simplices non septati, inferne conico-dilatati, septis tribus quatuorve intercepti, e septo supremo ramulos binos erectos tenuissimos non septatos apiceque globuliferos emittentes, basi aucti ramis repentibus vel arcu in foliorum concavitates declinatis, qui ramulis superioribus majores, sed aeque atque illi, septis destituti, majores etiam globulos ex apicibus proferunt (*Martius*).

3. THELACTIS *violacea.*

Th. floccis laxe gregariis aequatis albis, sporangio lineari oblongo violaceo.

Th. violacea. *Mart. Act. Leop. Car.* 10. *p.* 508. *t.* 46. *f.* 6.

Habitat in foliis putridis in Brasilia. *Lecta ad Cataractas Cupatenses fluminis Japura* (*Martius*).

Diagn. Acervi laxi sparsi duarum fere linearum altitudine ambitu irregulari. Flocci erecti septati cylindrici e septo medio basilarique ramos octo ad decem verticillatos subseptatos apice bulliferos protrudentes. Vesicula sporophora (*sporangium*) *lineari oblonga violacea, repleta sporis globosis minutissimis pellucidis quam in Thelacti flava duplo minoribus.* (*Martius.*)

4. THELACTIS *coccinea.*

Th. floccis laxe aggregatis inferne ramis flexuosis intricatis albis, sporangio oblongo coccineo.

Th. coccinea. *Mart. Act. Leop. Car.* 10. *p.* 509. *t.* 46 *f.* 7.

Habitat supra caules herbaceos plantarum fluitantium in Brasilia (*Martius*).

Diagn. Largis caespitibus supra caules herbaceos plantae incognitae cujusdam degens. Congenerum maxima, quippe quae 5 — 6 *lin. longa. Flocci erecti, sporangiferi subflexuosi septis* 4 — 6 *notati cylindrici nudi, excepta basi, quae ramulis* 5 — 8 *instruitur*

flexuosis cylindricis versus apicem globuliferum paullo attenuatis dense intricatis longitudine floccorum erectorum insignibus. Vesicula sporophora (sporangium) pulcherrime coccinea et e longinquo oculos allicens, foeta sporis globosis mediae magnitudinis omnino pellucidis (Martius).

56. DIDYMOCRATER.

Flocci erecti subsimplices, *sporangio* geminato, vertice ore orbiculari aperto.

1. DIDYMOCRATER *elegans.*

D. floccis simplicissimis subflexuosis albis e rudimentis ramorum subhirtis, sporangio cylindraceo cinereo-griseo.

D. elegans. *Mart. erlang. p.* 363. *N. Act. Leop. Car.* 10. *p.* 510. *t.* 46. *f.* 8.

Habitat in culmis Graminum male exsiccatorum herbariorum. Lectus Erlangae (Martius).

Diagn. Myce parva vix lin. alta laxe gregaria crescens. Flocci erecti pellucidi subsimplices hinc inde tuberculis minimis atque ramorum rudimentis instructi septati articulis longitudine variis. Sporangia in apice floccorum sessilia geminata ipsis floccis duplo breviora cylindrica ore aperto paullulum ampliore e membrana tenui fragili diaphana et subcellulosa constructa sporis numerosissimis globosis exiguis subdiaphanis colore paullo in fuscum vergente farcta indeque viridi-cinerascentia (Martius erlang.)

Differt a D. obscuro statura minore, floccis ad genicula ramulorum rudimentis granuliformibus praeditis, sporangiis brevioribus nec basi attenuatis colore e viridi cinerascente (Mart. Ac. Leop.).

Not. Num hujus loci Mucor Aspergillus Schrank naturhistor. u. physical. Aufsätze. Nürnb. 1786. *p.* 115. *t.* 1. *qui in fungis putridis degit?*

2. DIDYMOCRATER *obscurus.*

D. floccis simplicissimis subflexuosis albis nudis, sporangio cylindraceo basi attenuato fusco.

D. obscurus. *Mart. N. Act. Leop. Car.* 10. *p.* 509. *t.* 46. *f.* 8.

Habitat supra ligna putrida in sylvis horrendis aeterno rore humidis ad Flumen lignorum (Madeira) Provinciae Fluminis nigri in Brasilia (*Martius*).

Diagn. Subsolitarius, sparsus 1½ *lin. altus. Flocci conspicue septati septis pluribus pellucidi cylindrici simplicissimi apice ferentes par vasculorum cylindraceorum basi nonnihil angustiorum sibi oppositorum colore fusco farctorum sporis minutis pellucidis ovali-globosis (Martius).*

57. DIAMPHORA.

Flocci erecti basi radicanti-ramosa, medio simplices apice bifidi. *Sporangium* in utroque apice laterale operculatum. *Sporae* aliae septatae ellipticae, aliae minutissimae globosae.

1. DIAMPHORA *bicolor.*

D. sporangio cylindrico fusco operculo conico testaceo.

D. bicolor. *Martius N. Act. Ac. Leop. Car.* 10. *p.* 511. *t.* 46. *f.* 9.

Habitat in fructibus putridis Joncquetiae in Provincia Paraënsi Brasiliae (*Martius*).

Diagn. Caespites minutissimi fugacissimi ambitu suborbiculari. Flocci lineae cum dimidia altitudine cylindrici erecti septati apice bifidi cernui laxi ramos nonnullos flexuosos intricatos septatos tenuiores emittentes. Sporangia fusca, furcello terminali lateraliter affixa, sibi opposita cylindracea ore sursum spectante, recto ope operculi fugacis conici colore testaceo. Sporae post operculum decussum elabentes creberrimae aliae sat magnae ellipticae medio septatae pellucidae, aliae, quasi nondum evolutae, minutissimae globosae.

ERYSIBE.

Flocci decumbentes ramosi intricati. *Sporangia* adnata, sporangiolo aut sporangiolis foeta.

Not. 1. *Sporangiola ista non continere sporas, sed alia et quidem duo ad tria alia sporangiola seu secundi*

ordinis, cui demum sporae inclusae sint, observavit Ehrenberg.

Not. 2. *Pleraeque species e sporangii basi floccos propellunt reliquis rigidiores divergentes colore interdum magis obscuro ferrugineo aut nigrescente, radiculas quasi sistentes analogos iis, quos basis flocci sporangiferi in Mucore stolonifero emittit. Capillitium vocamus Wallrothium secuti. Reliqui flocci hyphasma formant, pleruique album, rarius fuscescens.*

Not. 3. *Hyphasma fere semper granulis albis inspersum invenitur, ut demto sporangio et capillitio Sporotrichum credideris.*

Not. 4. *Fere omnes hujus generis species in plantis vivis degunt. Plantam perennem quae Erysiben semel protulit et sequentibus annis huic vitio obnoxiam esse, saepissime observavimus. Wallrothius vidit ramum insertum aut plantulam Erysibe obtectum hoc vitium retinere. Cum itaque hi fungi corpori cuidam organico magis quasi addicti sunt, quam reliqui in corporibus mortuis inveniundi, vereor, ne species in diversis plantis occurrentes diversae quoque sint, quamvis similes appareant. In Caeomatis speciebus videmus differentias hoc in casu saepe repertas esse, quae initio nullae videbantur. Hinc addidi nomina trivialia a plantis cui insidet Erysibe desumta.*

Not. 5. *Erysiben voco eum Decandollio, quamquam Erysibe Veterum Uredo sit. Nomina uti Ptelea, Itea etc. eodem argumento abolienda essent. Et ἄλφιτον Veterum non erat farina nostra vulgaris, sed e granis tostis praeparabatur.*

Subgen. 1. *Sporangiolo unico.*

Div. 1. *Sporangia capillitio cincta.*

1. ERYSIBE *Humuli.*

E. hyphasmate limitato tandem effuso, floccis dense intricatis, capillitii floccis crispatis tandem sursum flexis fuscis, sporangiis confertis.

Erysiphe Humuli. *De Cand. fr.* 6. *p.* 106.

Alphitomorpha Humuli. *Wallroth Verhandl. naturf. Frde. Berl.* 1. *p* 35.

Sclerotium Erysiphe α. *Pers. obs. myc. I. p.* 13. *syn. p.* 124.

Mucor Erysiphe α Humuli. *Linn. Sp.* 2. *p.* 1656. *Leers herb. p.* 289.

Habitat in Humuli Lupuli foliis, in Europa. (*v. v.*)
Diagn. Mense Julio in utraque pagina oriuntur maculae parvae orbiculares demum confluentes. Hyphasma constat e floccis sat longis, tomentum album et maculas bullatas formantibus. (Flocci hyphasmatis ramosi, cellulis versus apicem brevioribus majoribus in apice fere globosis tandem separatis, unde granula (Lk.) Sporangia initio flava demum fusca dense aggregata globosa demum depressa. Capillitii flocci longi initio hyphasmati incumbentes tum sursum flexi sporangium obtegentes. (Flocci capillitii longi implexi septis distinctis, cellulis versus apices brevioribus majoribus globosis (Lk). Plerumque in pagina folii inferiore primum enascitur, ita ut mense Septembri ibi hyphasmata sporangiis onusta observantur, quae in pagina superiore sterilia animadvertuntur (Wallroth).

2. ERYSIBE *Epilobii.*

E. hyphasmate limitato tandem effuso, floccis elongatis intricatis pulvere denso instratis, capillitii floccis crispatis tandem sursum flexis fuscis, sporangiis confertis.

Alphitomorpha macularis *β. Wallr. Verhdl. naturf. Frde.* 1. *p.* 35.

Habitat in foliis Epilobii parviflori in Germania (*Wallr.*) (*v. v.*)

Diagn. Flocci longi teneri crispati pulvere albo dense impositi totam plantam obtegunt. Non solum in foliis sed quoque et frequentius fere in caulibus maculae magnae fuscae oriuntur, quae locum elevant et e sporangiis aggregatis fuscis componuntur (Wallroth).

3. ERYSIBE *fuliginea.*

E. hyphasmate primum limitato dein confluente, floccis laxe intricatis sordide albis demum sordide fuscescentibus, capillitii floccis inaequalibus deorsum flexis, sporangiis dense congestis.

E. Sanguisorbae. *De Cand. fr.* 6. *p.* 108.

Alphitomorpha fuliginea. *v. Schlechtendal Verhandl. naturforsch. Frde.* 1. *p.* 47.

Habitat in Veronicis spicatis nec non in Sanguisorba officinali in Europa. *Lectum Mindae (Schl.) Lipsiae (Ehrenberg), Berolini (Lk.), Gallia (De Candolle). (v. v.)*

Diagn. Hyphasma in utraque foliorum pagina maculas orbiculares quasi stellulatas format, quae deir confluunt, ita ut caulem foliaque obtegat. Sporangia dense plerumque primum in maculis subrotundis crescunt, dein laxas plagas occupant, primum rufo-fusca tum nigro-fusca. Capillitium e floccis paucis longis brevibusque acutatis hinc inde septatis.

4. ERYSIBE *ferruginea (Poterii).*

E. hyphasmate effuso, floccis laxe intricatis ferrugineis, capillitii floccis apice simplicibus acutis, sporangiis minutis fuscis sparsis.

Alphitomorpha ferruginea. *v. Schlechtendal Verhandl. naturf. Frde.* 1. *p.* 47.

Habitat in foliis Poterii Sanguisorbae in Germania. *Lect. Berolini (Schlechtend.). (v. v.)*

Diagn. Statu adulto utramque foliorum paginam tegit, floccis longis laxe intricatis tomentum sistens effusum. Capillitii flocci longi aequales ferruginei. Sporangia aequaliter distributa, colore minus obscuro quam floccorum. Colore hyphasmatis dignoscitur.

5. ERYSIBE *clandestina (Oxyacanthae).*

E. hyphasmate effuso, floccis subtilissimis laxe intricatis, capillitii floccis apice bifurcatis ramulis ultimis geminis nodosis, sporangiis minutissimis sparsis raris subglobosis.

Erysiphe Oxyacanthae. *De Cand. fr.* 6. *p.* 106.

Alphitomorpha clandestina. *Wallroth Verhdl. ntrf. Frde.* 1. *p.* 36.

Alphitomorpha clandestina *α. Wallr. l. c.*

Habitat in foliis Crataegi Oxyacanthae Europae. *(v. s.)*

Diagn. Flocci tenerrimi ita ut hyphasma oculo nudo vix dignoscatur, pulvere albo obtecto. Attamen plantula fruticis incrementum valde impedit. Sporangia adhuc difficilius dignoscuntur, diu alba permanent tum flavescunt et fuscescunt. Sporangia adulta libera apparent, capillitio sursum verso. Ca-

pillitii flocci bifurcati in apicem e multis nodis compositum fascicularem excurrunt. (*Wallr.*)

An Var.?

ERYSIBE *Aphanis.*

Alphitomorpha clandestina *β.* *Wallr. l. c.*

Habitat in Alchemilla Aphane in Germania *frequens.*

Diagn. Hyphasma totam plantam obtegit, praesertim partem superiorem. Dubitat Wallrothius an eadem sit species ac praecedens.

Div. 2. Sporangia capillitio destituta.

6. ERYSIBE *pannosa (Rosae).*

E. hyphasmate effuso demum pulvinato, sporangiis dense aggregatis minutissimis rugulosis demum fusco-nigris.

Alphitomorpha pannosa. *Wallr. Verhandl. naturf. Frde.* 1. *p.* 43.

Habitat in ramis junioribus calycibusque Rosae villosae in Germania. (*v. s.*)

Diagn. Mensis Julii fine in ramis calycibusque hyphasma tenerum oritur, quod in calycibus format hyphasmata parva rotunda elevata, quae colorem non mutant foliorum, incrementum tamen impediunt, calyces juniores et folia occidunt. Tandem hyphasmata confluunt, calyces obtegunt et in ramis late serpunt. Flocci subtiles quidem at firmi sericeo nitore splendentes breves simplices aut ramosi rarius septati obtusi dense intricati formant hyphasma globosum medio elevatum ad lin. crassum margine tenuiore cum sporangiis fuscescentibus simul fuscescens. Sporangia initio alba tum flava tandem fusca superficie non laevi floccis innata, a superioribus minus contextis obtecta, nec nisi aetate et terendo denudata conspicua. Peridium firmum; sporangiolum album gelatinosum sporulas 6—8 sphaeroideas diaphanas parvas continens tandem exsiccando collabens unde sporangia medio impressa evadunt. (*Wallr.*)

7. ERYSIBE *epigaea.*

E. hyphasmate effuso, floccis incumbentibus candi-

dis, sporangiis maximis hemisphaericis basi dilatatis demum nigris.

Alphitomorpha epigaea. *Wallr. Verhandl. naturf. Frde.* 1. *p.* 45.

Habitat in terra ad semitas, in ericetis, radicibus plantarum e. g. graminum denudatis in Germania.

Diagn. Initio hyphasma tenerrimum album multis granulis inspersum est. Tum flocci increscunt, granulis destituuntur, hyalini fiunt sericeo splendentes nitore, utriculares (nehmen deutlich eine Schlauchform an.) non raro pilo crassiores laxe incumbentes nec intricati, apicibus solo adnexis non raro secundum longitudinem confluentes et compressi. Sporangia initio flava tum nigra semper laevia, sporangiolum continentia gelatinosum album sporangium primo replens tum collabens et cavitatem relinquens. (Wallr.)

Not. An hujus loci?

Subgen. 2. *Sporangiolis pluribus.*

Div. 1. *Sporangiis capillitio cinctis.*

8. ERYSIBE *communis.*

E. hyphasmate demum effuso, floccis arachnoideis, sporangiis sphaericis sparsis numerosissimis tandem nigro-fuscis capillitio albo adfixis.

Alphitomorpha communis. *Wallr. Verhandl. naturf. Frde.* 1. *p.* 31.

Habitat in variis Europae *plantis.*

Diagn. Flocci albidi aut cinerei tenerrimi initio hyphasmata subrotunda formantes tum effusa. Sporangia primum alba tum flava, tandem nigro-fusca. Capillitii flocci simplices albi hyphasmati affixi.

Var. 1. *Leguminosarum.*

E. Pisi. *De Cand. fr.* 6. *p.* 274.

E. macropus. *Mart. erlang. p.* 392.

Mucor Erysiphe α in fol. Trifolii pratencis. *Schrank prim. fl. Salisb. n.* 925.

Alphitomorpha communis α. *Wallr. l. c.*

Habitat frequens in foliis variarum Leguminosarum in Europa. (*v. v.*)

Diagn. Frequens occurrit in Trifolio agrario, arvensi. Ervotetra spermo, hirsuto, Loto corniculata, Vicia sativa, Piso sativo et praesertim frequens in Trifolio flexuoso, quod hoc fungillo totum quantum saepe contegitur quasi aranearum tela obductum. Simile est in foliis Pisi, et Viciae, in illis hyphasma subtilius apparet, in hisce magis granulis conspersum. Leguminosis noxia plantula florescentiam et fructescentiam impedit. (Wallr.)

Var. 2. *Umbelliferarum.*

E. Scandicis. *De Cand. fr.* 6. *p.* 107.
E. Heraclei. *De Cand.* 1. *p.* 107. *Enc. bot.* 8. 220.
E. pycnopus. *Mart. erlang. p.* 392.
Alphitomorpha communis *β. Wallr. l. c.*
Habitat in variis plantis Umbelliferis in Europa. (*v. v.*)
Diagn. Frequens est in variis Umbelliferis e. g Pimpinella magna, Heracleo Sphondylio, Scandice Cerefolio, Pecrine, Chaerophyllo bulboso, nodoso aliisque quas totas floccis tenerrimis obducit, non solum herbam sed quoque semina. (Wallr.)

Var. 3. *Graminum.*

E. graminis. *De Cand. fr.* 6. 106.
Alphitomorpha communis *γ. Wallr. l. c.*
Habitat in Graminibus Europaeis *praesertim paniculatis.*
Diagn. In foliis Graminum praesertim planis latisque et praecipue in pagina superiore. Sporangia densa aggregata tomentum formant oblongum primo album, dein fuscum. (De Candolle).

Var. 4. *Labiatarum.*

Mucor Erisyphe. *Linn. Sp. II. p.* 1656. *in Lamio.*
Alphitomorpha communis *δ. Wallr. l. c.*
Habitat in variis Labiatis Europae. (*v. v.*)
Diagn. Frequentissima in Lamio purpureo, uti Linnaeus jam observavit, in variis Menthis ageraticis, Glechomate hederaceo, Thymo Serpillo et praecipue Marrubio vulgari. In hac planta ob tomentum aliam sumit formam, magis albida est, granulis

magis obtecta, et rarius fructificat, fructus vero densius sibi appositi splendorem habere videntur. (*W.*)

Var. 5. *Cichoracearum.*

E. Cichoracearum. *De Cand. fr.* 2. *p.* 274.
Alphitomorpha communis ι. *Wallr. l. c.*
Habitat in variis Cichoraceis Europae. (*v. v.*)
Diagn. In Scorzonera hispanica et Tragopogone porrifolio observatur. Hyphasma totum folium tegit saepe sterile. Capillitii flocci albi radiati numerosi articulati saepe ramosi et anastomosantes. Sporangia sparsa globosa parum depressa nigra. (*De Candolle*).

Var. 6. *Ranunculacearum.*

E. Aquilegiae. *De Cand. fr.* 6. *p.* 105.
Alphitomorpha communis ζ. *Wallr. l. c.*
Habitat in Ranunculaceis Europae. (*v. v.*)
Diagn. Frequens est in Anemone ranunculoide, (Delphinio Ajacis? Albert. Schwein. nisk. p. 76. *Ranunculo philonoti? Schlechtend. l. c. p.* 48.) *Ranunculo repente et praesertim Aquilegia vulgari. In hac planta et quidem in pagina foliorum superiore glabra hyphasma initio stellulatum esse solet, dein confluens; sporangia praesertim petiolos ramosos pilosos occupant.* (*W.*)

Var. 7. *Polygonearum.*

E. Polygoni. *De Cand. fr.* 2. *p.* 273.
Alphitomorpha communis η. *Wallr. l. c.*
Habitat in Polygoneis Europae.
Diagn. Sporangia initio flava tum auraniaca fusca et nigra, emittunt subtus floccos plures albos ramosos intertextos, qui formant rete membranaceum in toto folio extensum crassius ac in reliquis, facile separandum. In pagina inferiore foliorum Polygoni avicularis initio aestatis (*de Candolle*). *An species propria capillitio distincta?*

Not. Hujusne speciei sunt Er. Hyperici perforati, Urticae dioicae, Rosae burgundicae, Galii Aparines et Molluginis, Veronicae Teucrii, Plantaginis majoris, Fediae dentatae, Lini usitatissimi, Erysimi odorati, Cynoglossi officinalis, Symphyti officinalis?

Var. 8. *Convolvulacearum.*

E. convolvuli. *De Cand. fr.* 2. *p.* 274.
Alphitomorpha communis 9. *Wallr. l. c.*
Habitat in Convolvulis Europae.
Diagn. Paginam foliorum superiorem praesertim infestat Convolvuli arvensis post florescentiam et fructescentiam impedit, rarius in caule et periolis. Sporangia globosa primum flava tum fusca tandem nigra, sparsa aut in maculis rotundis, basi emittentia floccos albos filiformes numerosos, densos, anastomosantes, formantes tomentum difficile separandum. (*De Candolle*).

9. ERYSIBE *lamprocarpa.*

E. hyphasmate effuso, floccis brevissimis dense intertextis, capillitii longissimis tortuosis fuscescentibus, sporangiis sphaericis nitidis demum nigro-fuscis.
Alphitomorpha lamprocarpa. *Wallroth Verhandl. naturforsch. Frde.* 1. *p.* 33.
Habitat in Labiatis Europae.
Diagn. Differt a pr. sporangiis nitidis majoribus capillitio fusco.

Var. 1. *Ballotes.*

Alphitomorpha lamprocarpa. α *Wallr. l. c.*
Habitat in Ballote vulgari. (*v. s.*)
Diagn. Maculae magnae e floccis teneris dense intricatis. Sporangia majora ac in praecedente, saepe sparsa valde lucida demum obscure fusca. Capillitium e floccis teneris primo albis demum fuscis, cum sporangia maturant irregulariter crispatis, instar halonis sporangia sphaerica cingit (*Wallr.*).

Var. 2. *Galeopsidis.*

E. Galeopsidis. *De Cand. fr.* 6. 108.
Mucor Erisyphe. *Linn. Sp. II. p.* 1656. *in Galeopsi.*
Alphitomorpha lamprocarpa β. *Wallr. l. c.*
Habitat in Galeopsi retrahit Europae. (*v. v.*)
Diagn. Non differt a praecedente varietate nisi foliorum quibus incumbit superficie glabra et hyphasmate magis albo minus effuso. (*W.*)

Var. 3. *Plantaginis.*

Alphitomorpha lamprocarpa γ. *Schlechtend. Verhdl. naturf. Frde.* 1. *p.* 49.

Habitat in foliis Plantaginis mediae, utraque pagina, Germaniae. (*v. s.*)

10. ERYSIBE *circumfusa.*

E. hyphasmate tenui effuso, floccis laxe intertextis, capillitii ferrugineo-fuscis, sporangiis sphaericis superne impressis.

Alphitomorpha circumfusa. *Schlechtendal Verhandl. naturf. Frde.* 1. *p.* 49.

Habitat in Eupatorio cannabino in Germania. *Lect. Berolini* (*Schlechtend.*). (*v. s.*)

Diagn. In utraque pagina foliorum Eupatorii cannabini praesertim vero inferiore occurrit. Affinis praecedenti et sequenti. Hyphasma constat e floccis longis laxe intertextis, cui incumbunt sporangia plerumque sparsa, aut hinc inde aggregata, majora ac in pr. et seq. specie, capillitio longo cincta ipsis concolore fusco. (*Schl.*)

11. ERYSIBE *biocellaris (Lycopi).*

E. hyphasmate tenuissimo, floccis intricatis albis, capillitii raris simplicibus flexuosis, sporangiis subglobosis opacis demum nigro-fuscis.

E. [illegible] *Ehrenberg* N. *Act. Acad. Leopold. Ca*[illegible] *p.* 21. *t.* 13. *f.* 1—4.

Habitat in foliis languidis caulibusque Lycopi europaei in Germania. (*v. v.*)

Diagn. Hyphasma tenue e floccis sparsis aegre conspicuis. Capillitii flocci breves hyphasmatis floccis parum crassiores. Sporangia valde parva initio alba tum flava tunc nigro-fusca laevia at non nitida. Sporangiola plura quam 8 pyriformia pellucida, perisporia quatuor raro tria includentia. Perisporia ovato-oblonga sporam singulam at didymam versus utramque apicem continentia unde biocellata, gelatinam continentia. (*Ehrenb.*)

12. ERYSIBE *epimischa (Physalis).*

E. hyphasmate tenui effuso, floccis laxe intertextis, capillitii raris flexuosis subramosis albis, sporangiis sphaericis rugosis fusco-nigris.

Habitat in foliis Physalis-Alkekengi prope Viennam Austriae. *Legit Ehrenberg.* (*v. s.*)

Diagn. Late obtegit foliorum utramque paginam, sporangia vero in superiore praesertim profert. Flocci tenuissimi valde laxe granulis copiosissimis inspersi glomeratis e flavescenti albis. Sporangia, ubi adsunt, frequentia, capillitii floccis raris parum distinctis hinc inde ramosis flexuosis. Sporangia depressa rugulosa. Sporangiola oblonga quatuor.

13. ERYSIBE *depressa (Compositarum).*

E. hyphasmate effuso, floccis laxe intertextis, capillitii tenerrimis demum cum sporangio nigrofuscis, sporangiis sphaericis demum concaviusculis marginatis.

Alphitomorpha depressa. *Wallroth Verhdl. naturf. Frde.* 1. *p.* 34.

Habitat in plantis e Compositarum ordine in Germania.

Diagn. A praecedentibus species praesertim sporangiis differt aetate semper concavis.

Var. 1. *Bardanae.*

Alphitomorpha depressa *α.* *Wallr. l. c.*

Habitat in foliis Arctii Lappae *et* Bardanae. (*v. s*)

Diagn. In pagina superiore foliorum hyphasma quasi membranam constituit albam totum fere folium occupantem, ipsi arcte adnatam e floccis teneris intertextis constantem; in pagina inferiore flocci longiores sunt magis crispati a nervo ad nervum extensi granulosi. Sporangia majusculo in pagina inferiore frequentiora. Capillitium e floccis teneris constat cum hyphasmate conjunctis. (*W.*)

Var. 2. *Artemiciae.*

Alphitomorpha depressa *β.* *Wallr. l. c.*

Habitat in foliis Artemiciae vulgaris. (*v. s.*)

Diagn. Hyphasma album floccis magis regulariter intricatis in utraque pagina magis granulosis. Sporangia in utraqua pagina frequentia prioris varietatis sporangiis simillima. (W.)

14. ERYSIBE *tortilis (Corni).*

E. hyphasmate effuso parvo, floccis laxe regulariterque intertextis, capillitii longissimis sursum versis tortuosis fuscis, sporangiis minutissimis.

Alphitomorpha tortilis. *Wallr. Verhandl.* 1. *p.* 35.

Habitat in foliorum Corni sarguineae pagina inferiore in Germania. *(v. s.)*

Diagn. Pagina foliorum Corni inferior floccis longis sub angulo recto sese decussantibus subtilissimis glaberrimis obtecta est. Sporangia sphaerica fusca non laevia semper sparsa. Capillitium longissimum sursum versum sporangia contegens. (W.)

15. ERYSIBE *adunca.*

E. hyphasmate effuso maculari, floccis capillitii densis inflexis longissimis apice incurvato aduncis, sporangiis sparsis globosis fusco-nigris.

Alphitomorpha adunca. *Wallroth Verhandl. naturf. Frde.* 1. *p.* 37.

Habitat in foliis variorum fruticum et arborum in Europa.

Var. 1. *Populi.*

E. Populi. *De Cand. fr.* 6. 104. *Enc. meth.* 8. 220.

Alphitomorpha adunca *Wallr. l. c.*

Habitat in foliis Populorum. (v. v.)

Diagn. Maculae lacteae in pagina superiore foliorum hyphasma indicant e floccis subtilissimis constans brevibus dense intertextis. In pagina inferiore flocci longiores, laxius a nervo ad nervum extensi. Sporangia primo alba tum flava tandem fusca et nigrofusca sphaerica non laevia at splendentia in pagina inferiore ita saepe apposita ut capillitia sese contingant. Capillitii flocci sporangio 3—4 plo. longiores numerosi 18—24 dense appositi nivei splendentes non septati sporangium undique cingunt et elevant. (Wallr.)

Var. 2. *Prunastri.*

E. Prunastri. *De Cand. fr.* 6. *p.* 108.
Alphitomorpha adunca *β*. *Wallr. l. c.*
Habitat in foliis Pruni spinosae. (*v. s.*)
Diagn. Hyphasma fere obsoletum. Sporangia minora.

Var. 3. *Ulmorum.*

E. clandestina. *Bernard. stirp. sicil. f.* 3. *p.* 20. *t.* 4. *f.* 4.
Alphitomorpha adunca *γ*. *Wallr. l. c.*
Habitat in foliis Ulmi Siciliae.

16. ERYSIBE *bicornis (Acerum).*

E. hyphasmate effuso, floccis intertextis contiguis cinereo-albis, capillitii brevissimis apice furcatis nodosis, sporangiis sphaericis demum depressis fuscis.
E. Aceris. *De Cand. fr.* 6. *p.* 104. *Enc. meth.* 8. 104.
Alphitomorpha bicornis. *Wallr. Verhandl. naturf. Frde.* 1. *p.* 38.
Mucor Erysiphe in foliis Aceris platanoidis. *Schrank prim. fl. Salisb. n.* 925.
Habitat in foliis Acerum Germaniae. *Lect. in A. Pseudoplatano et campestri* (*Wallr.*), *Platanoidis* (*Schrank*). (*v. s.*)
Diagn. Totam superficiem praesertim superiorem folii induit quasi pellicula tenui a folio tandem soluta. Sporangia majuscula initio alba tum flava tandem fusca sparsa primo sphaerica non laevia aetate et sicca impressa. Capillitii flocci multi albi splendentes parum septati apice incrassati et irregulariter furcati. (*W.*)

17. ERYSIBE *divaricata.*

E. hyphasmate effuso, floccis dense intertextis griseo-albis, capillitii tandem sursum flexis contortis bifurcis, ramulis divaricatis ultimis floccosis, sporangiis minutis sphaericis nigro-fuscis.
Alphitomorpha divaricata. *Wallroth. Verhdl. naturf. Frde.* 1. *p.* 39.
Habitat in variorum fruticum foliis in Europa.

Var. 1. *Frangulae.*

Alph. divar. *Wallr. l. c.*
Habitat in foliis Rhamni Frangulae (Wallr.). (v. s.)
Diagn. In foliis summis rami duobus tribusque invenitur, quorum incrementum impedit, colore griseo dignoscenda. Hyphasma initio stellulare, tum diffusum totam paginam occupat granulis inspersum. Sporangia parum majora ac in sequente, frequentia at sparsa alba flava tandem fusca. Capillitium tenerum hyphasmati primo incumbens et cum ipso contextum tandem separatur et sursum versum sporangium involvit. Flocci longi sporangio 6—8 ploes longiores, quorum ramuli in apices terminantur floccis teneris diaphanis obsitos. (W.)

Var. 2. *Lonicerae.*

E. Lonicerae. *De Cand. fr.* 6. *p.* 107.
Alphitomorpha divaricata *β. Schlechtend. Verhandl. naturf. Frde.* 1. *p.* 49.
Habitat in pagina inferiore foliorum Lonicerae Caprifolii Germaniae *(Ehrenberg). (v. s.)*
Habitat in foliis Lonicerae Caprifolii. Lect. in Gallia (De Candolle), Germania (Ehrenberg).
Diagn. Simillima varietati praecedenti, capillitii flocci parum breviores.

18. ERYSIBE *penicillata.*

E. hyphasmate effuso, floccis subtilissimis dense intertextis griseo-albis, capillitii rectis apice penicillatis, sporangiis minutissimis globosis demum depressis fusco-nigris.
Alphitomorpha penicillata. *Wallroth Verhdl. naturf. Frde.* 1. *p.* 40.
Habitat in variorum fruticum et arborum foliis in Europa.

Var. 1. *Alni.*

Er. Alni. *De Cand. fr.* 6. *p.* 104. *Enc. meth.* 8. *p.* 219.
Alphitomorpha penicillata *α. Wallr. l. c.*

Habitat in utraque pagina foliorum Alni glutinosae et incanae. (*v. v.*)

Diagn. Juniore aetate hyphasma obsoletum, tum maculas format, tandem vero folia ramorum juniorum undique tomento griseo-albo investit. Sporangia minutissima oculo nudo vix conspicua copiosa aggregata sparsa initio globosa, tum paullulum depressa. Capillitium e floccis teneris brevibus vix diametro sporangii longioribus albis. (*W.*) (*Apices floccis granulisque obsiti sunt, quae e flocculis septatis dilapsis oriri videntur.* (*Lk.*)

Var. 2. *Grossulariae.*

Alphitomorpha penicillata *β. Wallr. l. c.*

Habitat in foliis Ribis Grossulariae. (*v. v.*)

Diagn. Hyphasma magis griseum et pulverulentum ac in pr. var.

Var. 3. *Berberidis.*

E. Berberidis. *De Cand. fr.* 2. *p.* 275.

Alphitomorpha penicillata *γ. Wallr.*

Habitat in Berberidis vulgaris foliis. (*v. s.*)

Var. 4. *Rhamni cathartici.*

Alphitomorpha penicillata *δ. Schlechtendal Verhdl. ntrf. Frde.* 1. *p.* 49.

Habitat in foliis Rhamni catharitici quae tota saepe obtegit (*Schlechtend.*). (*v. s.*)

19. ERYSIBE *comata (Euonymi).*

E. hyphasmate effuso, floccis crispatis dense intertextis, capillitii longissimis densis apice flocculosis tandem versus hyphasma inflexis, sporangiis globosis demum depressis nigro-fuscis sparsis.

E. Euonymi. *De Cand. fr.* 6. *p.* 105.

Alphitomorpha comata. *Wallr. Verhdl. ntrf. Frde.* 6. *p.* 105.

Habitat in foliorum Euonymi europaei pagina praesertim inferiore in Europa. *Lectum in Gallia* (*de Cand.*), *German.* (*Wallr.*) (*v. s.*)

Diagn. Hyphasma fere totam foliorum paginam inferiorem obducit, rarius et parum superiorem. Sporangia sparsa at copiosa initio alba tum flava tandem fusca globosa tandem parum depressa. Capillitii flocci densi nitidi argentei primo cum hyphasmate tum vero versus ipsum inflexi sporangium ab hyphasmate solventes et elevantes et ita appositi ut tomentum forment; apices bifidi, ramulis flocculosis. (*W.*)

20. ERYSIBE *holosericea (Astragali).*

E. hyphasmate effuso, floccis dense intertextis albescentibus, capillitii longissimis candidissimis tortuosis acutis, sporangiis globosis demum depressis nitidis nigro-fuscis.

E Astragali. *De Cand. fr.* 6. *p.* 105.

Alphitomorpha holosericea. *Wallr. Verhdl. naturf. Frde.* 1. *p.* 41.

Mucor Erysiphe. *Linn. Sp. II. p.* 1656. *in Astragalo.*

Habitat in foliis Astragali glycyphylli in Europa. (*v. s.*)

Diagn. Hyphasma praesertim in pagina inferiore foliorum crescit, interdum vero totam plantam expallescentem occupat, granulis copiosissimis inspersam. Sporangia hinc inde aggregata apparent at sese non contingunt. Capillitium e floccis 14—20 *densis nitidis sericeis primo exporrectis tum sursum versis crispatis et apicibus implicatis tomentum efficientibus.* (*W.*)

21. ERYSIBE *orbicularis.*

E. hyphasmate limitato, floccis dense intricatis albis, capillitii bulbosis acutis inaequalibus, sporangiis subglobosis demum nigro-fuscis.

E. orbicularis. *Ehrenb. N. Acta Academ. Leopold. Carol.* 10. *p.* 203. *t.* 12. *f.* 1—5.

Alphitomorpha guttata *γ*. *Wallr. Verhdl. ntrf. Fr.* 1. *p.* 42.

Habitat in foliis delapsis Fagi sylvaticae Germaniae (*v. s.*)

Diagn. Hyphasma maculas format in pagina inferiore foliorum siccorum interdum confluentes. Granula frequenter inspersa. Sporangia majuscula nitidiuscula supra hyphasma emergentia primo alba tum lutea demum nigra. Capillitii flocci exporrecti, rigidiusculi-albi. (*Ehrenb.*)

22. ERYSIBE *guttata.*

E. hyphasmate tenui, floccis dense intricatis albis, capillitii bulbosis rectis demum genuflexis sporangium elevantibus, sporangiis globosis demum fusco-nigris sporangiola emittentibus.

Alphitomorpha guttata. *Wallr. Verhdl. ntrf. Frde.* 1. *p.* 42.

Habitat in pagina inferiore foliorum in arboribus Europae.

Var. 1. *Coryli.*

E. Coryli. *De Cand. fr.* 2. *p.* 273.
E. vagans. *Bernard. sicul. f.* 3. *p.* 19. *t.* 4. *f.* 3.
E. suffulta. *Rebent. neomarch. p.* 360. *t.* 3. *f.* 14. *a. b.*
E. pachypus. *Mart. erlang. p.* 393.
Alphitomorpha guttata *α. Wallr. l. c. Schlechtend. l. c. p.* 50.
Dematium Erysiphe. *Spreng. hal. p.* 387.
Sclerotium Erysiphe *β. Pers. syn. p.* 124.

Habitat in Coryli foliis in Europa. *(v. v.)*

Diagn. Hyphasma maculae-forme rotundum, e floccis brevibus regulariter at dense intertextis folio arcte adnatis, demum cum aliis confluens et totum folium obtegens. Sporangia initio alba, tum flava, denique aurantiaca tandem fusca superficie non laevi, majora ac in reliquis. Cum sporangium maturum est, e superiore parte convexa protrudit sporangiola, instar vesiculae globosae diaphanae albae, quae in vertice remanet et exsiccatur. Tum latera orificii circa vesiculam contrahuntur et sporangium lentiforme evadit. (Sporangiola oblonga, altera extremitate appendice brevi obtusa instructa. Schlechtend.) Sporangia juniora capillitium non habent; cum fusca evaserint in margine 8—12 papillae parvae diaphanae vesiculaeformes emergunt, qui postea floccos rectos firmos albos acutos emittunt, capillitium formantes. Sporangio maturitatem adepto, flocci capillitii in parte bulbosa inflectuntur et ita Sporangium elevant. Tandem sporangium invertitur et sporangii flocci sursum verguntur, quod quoque in aliis speciebus fieri solet. (Wallr.)

Var. 2. *Fraxini.*

Alphitomorpha guttata *β*. *Wallr. l. c.*
Habitat in foliis Fraxini excelsioris Germaniae. (*v. s.*)

Var. 3. *Ulmorum.*

Alphitomorpha guttata *δ*. *Wallr. l. c.*
Habitat in foliis Ulmorum Germaniae. (*v. s.*)

23. ERYSIBE *obtusata (Salicis).*

E. hyphasmate effuso, floccis dense intricatis albis, capillitii aequatis rectis obtusis, sporangiis sphaericis, demum nigro-fuscis.
E. Salicis. *De Cand. fr.* 2. *p.* 273.
Alphitomorpha obtusata. *Schlechtend. Verhdl. ntrf. Frde.* 1. *p.* 50.
Alphitomorpha guttata *ε*. *Wallroth Verhdl. natrf. Frde.* 1. *p.* 42.
Habitat in variis Salicum speciebus in Europa. (*v. v.*)
Diagn. Hyphasma praesertim in foliis glabris nitidisque conspicuum est e floccis brevibus dense intertextis, in quo sporangia aut sparsa aut conferta reperiuntur. Capillitium componitur e floccis permultis brevibus albis apice obtusis caeterum vero aequatis. Denique inflectitur et sporangium elevat. Tandem vero sporangium invertitur et capillitium sursum vergitur. Sporangiola non appendiculata. (*Schlecht.*)

Div. 2. *Sporangia capillitio destituta.*

24. ERYSIBE *epixylon.*

E. hyphasmate effuso tenuissimo, floccis laxe intricatis, sporangiis sparsis sphaericis supra interdum depressis nigris.
Alphitomorpha epixylon. *Schlechtend. Verhdl. ntrf. Frde.* 1. *p.* 50.
Habitat in ramis Quercuum cortice destitutis in Germania. *Lect. circa Berolinum* (*Ehrenberg*). (*v. s.*)
Diagn. Hyphasma e filis constat hinc inde furcatis hyalinis longis, telae arachnoideae simillimum. Sporangia magna copia sporangiolorum referta. (*Schl.*)

Not. Non determinatae sunt: E. album, Fries Obs. 1. p. 207. in Juglande in Helvetia E. radiosum ibid. in Rosae foliis, E. Betulae, de Cand. fr. 6. p. 107. E. Ilicis ibid. p. 109.

59. ANTENNARIA.

Flocci ramosi dense intricati moniliformes. *Sporangia* sporulas moniliformes (floccorum ramulos?) continentia.

1. ANTENNARIA *ericophila.*

A. thallo crassissimo, floccis e fuso nigris, sporangiis inspersis globosis.

A. ericophila. *Link in Schrad. N. Journ. d. Botan. B. 3. H. 1. et 2. p. 16. f. 27.*

Habitat in truncis Ericarum in Lusitania. *Lect. in Serra de Gerez (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Densis caespitibus pollicem et ultra crassis caules et ramos Ericae procerae Fl. lus. longe lateque investit. Massam suberosam constituit facile cultro discindendam at firmam et elasticam. Sub microscopio composito constat e floccis ramosis valde implicatis articulatis, articulis globosis aliis floccis crassioribus, aliis multo tenuioribus. Sporangia nigra inspersa, seminis Panici miliacei magnitudine irregulariter globosa, cortice crasso et friabili, intus sporulis moniliformibus solutis, quasi ramulis repleta.

2. ANTENNARIA *pinophila.*

A. thallo crasso, floccis atris, corpusculis sporangiformibus majoribus.

A. pinophila. *Nees fung. p. 279. f. 298. Mart. erlang. p. 353.*

Torula fuliginosa. *Pers. myc. eur. 1. p. 21.*

Monilia Piceae. *Funke pl. crypt. exsicc. n. 464. Schmidt et Kunze fung. exsicc. n. 75.*

Racodium nigrum. *Schumach. saelland. 2. p. 447.*

Racodium vulgare. *Fries Obs. 1. p. 215.*

Habitat in Pini variis speciebus praesertim Picea Linn. in Dania, Germania media *et* australi, Gallia. *Occurrit quoque in Ericis Galliae meridionalis (Persoon). (v. v.)*

Diagn. Praecedenti simile at non ita crassum haud ultra 6 lin. crassum, atrum superficie multo magis inaequali granulosa. Corpuscula sporangiformia magna diametro fere lineae intra thallum recondita sunt e quibus flocci proveniunt in corpusculum transeuntes, crassiores et tenuiores, quibus hinc illinc insident ramuli trifidi flavescentes pellucidi, quovis ex annulis 5 — 6 constante. Intra sporangium materia subgelatinosa conspicitur, quae sporas continet e 10 — 11 articulis constantes fuscas (Nees). Sporangia inter basin floccorum enascuntur, granuliformia, figurae non determinatae, magnitudine seminis Panici miliacei, facile dilabentia atque sporas in articulos 9 — 12 instar monilis divisas effundentia. Sunt vero hae sporae quasi Torulae species, vesiculis dense infarctae, neque umquam thecis propriis inclusae (Martius).

60. RHIZOCTONIA.

Flocci decumbentes ramosi. *Sporangia* floccis adnata intus carnosa.

Not. Genus mihi ignotum. Quae adscripsi fide Bulliardi et Candollii retuli.

1. RHIZOCTONIA *crocorum.*

Rh. hyphasmate e sporangiis enato, floccis rubentibus firmis non intricatis, sporangiis aggregatis connatisque subglobosis concoloribus.

Rh. crocorum. *De Cand. fr.* 6. *p.* 111.

Sclerotium crocorum. *Pers. syn. p.* 119. *De Cand. fr.* 2. *p.* 277.

Thanathophytum crocorum. *Nees fung. p.* 148. *f.* 135.

Tuber parasiticum. *Bulliard champ. p.* 81. *herb. t.* 456.

Memoire sur la culture du saffran. *Du Hamel Mem. de l'Acad. d Scienc.* 1720. *p.* 100. *t.* 2.

Memoire s. l. maladies du safran. *Fougeroux de Bondaroy Mem. de l'Acad. d. Scienc.* 1782. *p.* 105. *c. fg.*

Habitat in bulbis Croci sativi in Gallia.

Diagn. Fungus subterraneus membranis bulbi adhaerens apicibus floccorum carnosis. Ex locis ubi flocci adhaerent exeunt alii flocci teneri colore rubro-violaceo.

Not. Morbum Crocum efficit deleterium contagiosum. Parva terrae copia, in qua Crocus ille morbosus fuit in agrum projectus, [illegible] Crocus sanus colitur, huic morbum infert. [illegible] fossis arcetur.

2. RHIZOCTONIA *Medicaginis.*

Rh. hyphasmate effuso, floccis intricatis purpureis, sporangiis irregularibus purpureis.

Rh. Medicaginis. *De Cand. fr.* 6. *p.* 111.

Habitat in radicibus Medicaginis sativae in Gallia meridionali.

Diagn. Tubercula (sporangia) forma irregulari intus initio alba tum purpurea, demum nigra, carnosa, fragilia. Flocci inde exeuntes longi sunt, ramosi saepe intricati ita ut quasi membranam forment. Saepe radicem totam obtegunt, a radice ad aliam excurrunt et ita plantam enecant (de Candolle).

3. RHIZOCTONIA *strobilina.*

Rh. hyphasmate effuso, floccis firmis nigris, sporangiis nigris intus albis.

Sclerotium strobilinum. *Kunze et Schmidt mykol. Hfte* 1. *p.* 85.

Habitat in strobilis Pini sylvestris et Abietis in Germania. *Lect. circa Bernstadt et Schandau in Saxonia (Kunze).*

Diagn. Sporangia diametro lin. dimidiae, globosa rugulosa intus dura alba. A basi sporangii radiatim exit hyphasma tenue floccosum in squamis strobili adfixum.

Not. An hujus generis? Non vidi.

HELMINTHOSPORIUM.

Flocci erecti apicibus septatis. *Sporangia* septata ad basin floccorum apposita.

Cfr. Ser. 2.

ARTHRINIUM.

Flocci decumbentes simplices moniliformes. *Sporangia* septata inspersa.

Cfr. Ser. 1.

SERIES VI.

Flocci toti ex articulis compositi, qui sporidia sistunt.

61. OIDIUM.

Flocci erecti aut decumbentes simplices et subramosi, articulis pellucidis facillime dilabentibus.

Not. A sequentibus generibus differt articulis pellucidis facillime dilabentibus et teneritate. Sporotricho praesertim juniore aetate simile est, at flocci toti in articulos secedunt.

1. OIDIUM *aureum.*

O. floccis suberectis simplicibus et subramosis dense aggregatis flavis, articulis ovalibus.

O. aureum. *Link Obs. I. p.* 16. *f.* 29.

Habitat in truncis arborum putrescentium in Germania. *Lect. Rostochii (Lk.). (v. v.)*

Diagn. In cortice arborum caespitulos parvos efficit, quae lanam flavescentem aut flavam sistunt. Sub microscopio composito flocci apparent juniores parum ad articulos constricti albentes, tum vero magis magisque constringuntur, in flavum et aureum vergunt colorem et in articulos ovales toti quanti secedunt. Dehiscere mihi visi sunt articuli, materiamque grumosam effundere.

2. OIDIUM *fulvum.*

O. floccis erectis simplicibus dense aggregatis fulvis, articulis ovalibus.

Alysidium fulvum. *Kunze et Schmidt Mykol. Hfte* 1. *p.* 18. *f.* 6.

Acrosporium fulvum. *Pers. myc.* 1. *p.* 24.
Habitat in arborum truncis putrescentibus in Germania. *Lectum in Lusatia superiore* (*Schmidt*) *circa Lipsiam* (*Kze.*). (*v. s.*)
Diagn. Valde affine praecedenti et forte eadem planta aetate provectiore collecta. Flocci magis erecti semper simplices. Color fulvus persistens, qui in praecedente e flavo in griseum transit. Articuli ejusdem formae.

5. OIDIUM *fructigena.*

O. floccis suberectis simplicibus intricatis ochraceis, articulis ovalibus.
O. fructigena. *Kunze et Schmidt Mykol. Hfte* 1. *p.* 80. *f.* 22.
Monilia fructigena. *Pers. syn. p.* 693? *Albert. et Schwein. p.* 365?
Torula fructigena. *Pers. myc.* 1. *t. f.* 7?
Acrosporium fructigenum. *Pers. myc.* 1. *p.* 24.
Habitat in Pyris et Persicis putridis in Germania. *Lect. circa Lipsiam* (*Schmidt*), *Berolini* (*Lk.*). (*v v.*)
Diagn. Caespites format initio subrotundos, tunc conconfluendo sat expansos, floccis in tomentum intricatis at, quantum videre licuit, simplicibus. Color ochraceus diu persistit. Articuli ut in praecedente.

Not. Persoonius ipse synonyma ex suis libris affert, at specimina ab eo missa Sporotrichum fructigena mihi monstrarunt.

4. OIDIUM *monilioides.*

O. floccis erectis simplicibus laxe aggregatis albis flavisque, articulis ovatibus.

Var. 1. *Album, floccis albis.*

Acrosporium monilioides. *Nees fung. p.* 53. *f.* 49. *B. Mart. erlang. p.* 340. *Pers. myc.* 1. *p.* 23.
Monilia hyalina. *Fries Obs.* 1. *p.* 210. *t.* 3. *f.* 4.
Habitat in foliis Graminum in Germania. *Lectum in Franconia* (*Nees*), *Berolini* (*Lk.*). (*v. v.*)
Diagn. In pagina foliorum inferiore format maculas elongatas albas, in quibus nudis oculis flocci vix conspiciuntur. Sub microscopio simplici tomentum tenuissimum apparet, sub composito flocci apparent

prima aetate ut in prima specie aequati septati nec articulati. Tum inter septa sporidium oriri videtur, quod sensim auctum totum occupat articulum et cum isto simul separatur.

Var. 2. *Flavicans, floccis flavicantibus.*

Habitat in foliis Graminum in Germania. *Lect. Berolini (Lk.). (v. v.)*

Diagn. Praecedenti simillimum colore excepto.

5. OIDIUM *Uredinis.*

O. floccis erectis simplicibus dense aggregatis, articulis brevibus crassis.

Habitat in pagina inferiore Rubi fruticosi Uredine obtecta in Germania. *Lect. Berolini (Ehrenberg). (v. v.)*

Diagn. In pagina inferiore foliorum Rubi caespituli parvi rotundi conspiciuntur luteo-albi, qui microscopio simplici inspecti e floccis parvis consistere videntur divergentibus. Sub microscopio composito apparent flocci articulis brevibus crassis at irregularis figurae, qui veluti e granulis Uredinis compositi videntur, intus grumosis facillime dilabentibus. Plantula habitu singulari, saepius observanda, quae cum Uredine juncta videtur.

6. OIDIUM *laxum.*

O. floccis erectiusculis ramosis dense aggregatis griseis, articulis ovalibus.

O. laxum. *Ehrenb. sylv. mycol. p.* 10. 22.

Acrosporium laxum. *Pers. myc.* 1. *p.* 25.

Habitat in Prunis armeniacis putrescentibus in Germania. *Lectum Berolini (Ehrenberg). (v. v.)*

Diagn. Caespites format primum rotundos tunc confluentes et expansos tomentum breve nudis oculis sistens Sub microscopio flocci apparent prima aetate aequati septati saepe ramosi grisei, tum in articulos ovales mutantur et secedunt. Simile O. aureo at color differt et locus natalis. Oriuntur et articuli breves inter longiores.

7. OIDIUM *chartarum.*

O. floccis decumbentibus subramosis atris, articulis ovalibus.

Stilbospora chartarum. *Ehrenb. sylv. p.* 10. 21. *statu decrepito.*

Sporotrichum chartaceum. *Pers. myc.* 1. *p.* 83.

Habitat in charta locis humidis reposita in Europa. *Lectum Parisiis (Persoon). Berol. (Ehrenb.) (v. s.)*

Diagn. Efficit maculas atras in charta dispersas, quae nudis oculis conspectae pulverem nigrum sistunt. Sub microscopio composito flocci conspiciuntur longi tenues aequati parum ramosi pellucidi, in quibus articuli oriuntur parvi globosi aggregati unde moniliformes evadunt flocci. Tum majores fiunt articuli, ipsique flocci inde clavati tandem in sporidia ovalia secedunt.

8. OIDIUM *croceum.*

O. floccis decumbentibus croceis, articulis ellipticis.

Torula crocea. *Martius erlang. p.* 357.

Habitat in epidermide Betulae albae in Germania. *Lect. circa Erlangam (Martius).*

Diagn. Ex epidermide erumpit. Acervuli tenues, flocci distincti. Massa articulis contenta, primo omnino aequabilis et diaphana obscure aurea nitens, demum grumosa fit atque in granula minutissima collabitur. Articuli dum hoc accidit, interdum a se invicem secedunt. (Mart.)

9. OIDIUM *virescens.*

O. floccis erectiusculis subramosis dense aggregatis virescentibus, articulis ovalibus.

Habitat in foliis dejectis Alni in Germania. *Lectum circa Lipsiam (Ehrenberg). (v. s.)*

Diagn. Caespitulos parvos efficit subrotundos in pagina inferiore foliorum Alni glutinosae. Nudo oculo vix flocci distinguuntur. Sub microscopio compositi flocci apparent primum aequati parum ramosi pellucidi tum hinc inde at rarius ac in specie praecedente moniliformes fiunt tandem in articulos secedunt paullo longiores ac in speciebus praecedentibus. Color olivaceus fere.

10. OIDIUM *subramosum*.

O. floccis erectiusculis ramosis dense aggregatis moniliformibus fusco-nigris, articulis tandem ovalibus.

Conoplea fusca. *Pers. myc.* 1. *p.* 12.

Habitat in ramis Rosarum dejectis in Germania. *Lect. circa Lipsiam (Kunze). (v. s.)*

Diagn. Caespites subrotundos format demum confluentes pulvinatos fusco-nigros Cladosporii habitu. Sub microscopio composito flocci apparent ramosi toti quanti ex articulis parvis globosis compositi, unde moniliformes. Non solum in apicibus sed quoque in decursu floccorum articuli majores fiunt ovales et oblongi deciduntque, multo rarius vero id accidit ac in speciebus praecedentibus. An genus proprium ob floccos obscuriores moniliformes multo rarius in articulos ovales abeuntes?

62. TETRACOLIUM.

Flocci decumbentes appressi e quatuor articulis constantes.

1. TETRACOLIUM *Tubercularíae*.

T. floccis sparsis appositisque nigris.

T. Tubercularíae. *Kunze in litter.*

Torula Tubercularíae. *Nees N. Act. Acad. Leopold. Carol.* 9. *p.* 247. *t.* 6. *f.* 16.

Habitat in Tubercularia vulgari in Germania. *Lect. circa Lipsiam (Kunze). (v. s.)*

Diagn. Superficies Tubercularíae vulgaris dum laete viget nudo oculo lineolis minutissimis nigris, aliis sparsis aliis vario modo et directione sibi appositis vix perspiciendis notata apparet, quae quidem lineolae sub lente acri superficiei impressae et regulari modo torulosae in conspectum veniunt, tanquam e granis aliquot essent compositae. Lamina tenuissima ope cultelli e superficie Tubercularíae sectione horizontali soluta et Microscopio composito in guttula aquae subjecta fungillum monstrat opacum rectum strictum simplicissimum qui ex articulis quatuor globosis haud facile separandis constat. (Nees).

63. MONILIA.

Flocci erecti simplices, articulis contiguis non dilabentibus.

1. MONILIA *antennata.*

M. floccis dense aggregatis, atris articulis oblongis.

M. antennata. *Pers. syn. p.* 691. *Albert. et Schwein. p.* 365. *Hoffmann Deutschl. Flora t.* 13. *f.* 1. *Lk. Obs. I. p.* 19. *Nees fung. p.* 71. *f.* 67. *Mart. erlang. p.* 356.

Torula antennata. *Pers. myc.* 1. *p.* 21.

Habitat in asseribus, truncis resectis etc. aëri expositis in Germania *frequens. (v. v.)*

Diagn. Caespites format late effusos asseres lignaque quibus innascitur longe lateque obtegens et denigrans, floccis nudo oculo vix conspicuis. Per microscopium simplex flocci apparent densum at breve tomentum efficientes. Sub microscopio composito floccorum articuli in conspectum veniunt oblongi obscuri at fusco transparentes facile secedentes. Flocci rigidi, fragiles ob istum floccorum secessum.

2. MONILIA *expansa.*

M. floccis dense aggregatis subpellucidis atris, articulis globosis.

Hormiscium expansum. *Kunze et Schmidt Mykol. Hfte* 1. *p.* 12.

Torula expansa. *Pers. myc.* 1. *p.* 22.

Habitat in caulibus plantarum siccis in Germania. *Lect. circa Lipsiam (Kunze).*

Diagn. Caespites format late expansos in caulibus herbarum exsiccatis. Flocci stricti rigidiusculi subpellucidi (Kunze).

3. MONILIA *alta.*

M. floccis raris aggregatis variis rigidis obscuris atris, articulis magnis.

Hormiscium altum. *Ehrenb. sylv. p.* 10. 22.

Torula alta. *Pers. myc.* 1. *p.* 22.

Habitat in cortice arborum (Alni glutinosae) in Germania. *Lect. Berolini im Thiergarten (Ehrenberg). (v. s.)*

Diagn. M. expansa habet floccos subpellucidos duplo tenuiores et breviores, nec non articulos triplo fere minores (Ehrenb.).

4. MONILIA *sparsa.*

M. floccis sparsis fasciculatisque atris, articulis plurimis globosis.

M. articulata? *Nees fung. 71. f. 67. B.*

Dematium articulatum. *Pers. syn. p. 694. Disp. fung. p. 41. t. 4. f. 2.*

Habitat in oculibus herbarum siccis in Germania. *(v. v.)*

Diagn. Oculo nudo nil nisi puncta nigra conspiciuntur. Sub microscopio simplici flocci sparsi rigidiusculi apparent, sub composito flocci articulis globosis fusco-pellucidis.

Not. M. articulatae Neesii similis, at articuli in nostris non ita obscuri, nec floccis ita stipitatis ut in figura Neesii apparet.

5. MONILIA *Hammonis.*

M. floccis aggregatis fasciculatis suberumpentibus brevissimis atris, articulis globosis facile delabentibus.

Torula Hammonis. *Ehrenberg in litt.*

Habitat in Arundine Hammonis Sprengel. prope Bir Haje in Aegypto *(Ehrenb.). (v. s.)*

Diagn. Fasciculos format minutos raro lin. longitudine, angustos, ex epidermide vaginarum erumpentes. In pagina interiore vaginarum granula minuta nigra conspiciuntur magnitudine articulorum. Microscopio simplici vix flocci deteguntur, composito brevissimi apparent erecti. Articuli minuti globosi. Aff. praecedenti.

64. ALTERNARIA.

Flocci erecti simplices, articulis parte filiformi distinctis.

1. ALTERNARIA *tenuis.*

A. floccis dense aggregatis nigris, articulis oblongis

A. simplex. *Nees fung. p.* 72. *f.* 68. *Mart. erlang. p.* 356. *Pers. myc.* 1. *p.* 20.

Habitat in caulibus herbarum exsiccatis in Germania. *Lect. in Franconia* (*Nees*). (*v. s.*)

Diagn. Caespites in caulibus herbarum exsiccatis format late expansos, caules denigrantes, oculo nudo pubescentiam teneram sistens. Sub microscopio composito apparent articuli 3—4 *nec plures in eodem flocco, constantes e parte filiformi opata, et parte oblonga ejusdem longitudinis at duplo crassiore medio transparente. Tenera planta facillime delabens et evanescens.*

2. ALTERNARIA *rudis.*

A. floccis implexis nigris, articulis irregulariter subglobosis.

A. rudis. *Ehrenb. sylv. p.* 10. 22. *Pers. myc.* 1. *p.* 20.

Habitat ad truncos pineos in Germania. *Lect. Berol.* (*Ehrenberg*). (*v. s.*)

Diagn. Flocci varii rudes rigidi breves, articuli nodos rudes referentes (*Ehrenberg*).

67. TORULA.

Flocci decumbentes ramosi intricati, articulis contiguis.

Not. Omnium articuli globosi nigri parum transparentes.

1. TORULA *herbarum.*

T. thallo crassiusculo, floccis fragillimis.

Torula herbarum. *Link Obs. I. p.* 19. *Mart. erlang. p.* 357. *Pers. myc.* 1. *p.* 21.

T. monilis. *Pers. obs.* 1. *p.* 25.

T. Celtis. *Bernard. Stirp. sic. f.* 3. *p.* 18. *t.* 3. *f.* 6.

Monilia herbarum. *Pers. syn. p.* 693.

Habitat in caulibus plantarum exsiccatis asseribusque in Europa. *Lect. in Germ., in Lusit.* (*Lk.*) *in Sicil.* (*Bernardi*). (*v. v.*)

Diagn. Frequentissima planta longas latasque plagas in caulibus herbarum praesertim majorum varius in asseribus occupans, ob fragilitatem ramorum deni-

grans. Sub microscopio composito apparent flocci densissime implicati ramosissimi, articulis parvis facile dilabentibus.

2. TORULA *tenera.*

T. thallo tenui, floccis fragilibus nigris.

T. tenera. *Link Obs. II. p.* 40. *Nees fung. p.* 73. *f.* 69. *Mart. erlang. p.* 358. *Pers. myc.* 1. *p.* 21.

Hab. in ramis dejectis, truncis resectis, in Germania. *Lectum in Franconia* (*Nees*), *circa Lipsiam* (*Kze.*). (*v. s.*)

Diagn. Praecedenti simillima nec differt nisi thallo tenuiori, et ideo coloris minus obscuri, articulis magis inaequalibus saepe latioribus quam longis.

Not. Martius huc refert Leprariam rubentem Achar. et vocat T. cinnabarinam, M. erlang. p. 357. *At in vulgata plantula equidem floccos non video.*

ANTENNARIA.

Flocci decumbentes ramosi intricati. *Sporangia* sporas moniliformes (ramulos solutos?) continentia. *Cfr. ser.* 5.

RACODIUM.

Flocci decumbentes ramosi intricati vix septati apicibus moniliformibus in globulos coalitis. *Sporidia* ex apicibus floccorum moniliformibus dilapsis.

66. AMPHITRICHUM.

Flocci decumbentes ramosi articulati, in globulos setigeros coëuntes.

1. AMPHITRICHUM *effusum.*

A. thallo confluente, floccis ramosissimis dense implexis aterrimis.

A. effusum. *Nees N. Act. Acad. Leop. Car.* 9. *p.* 248. *t.* 6. *f.* 17.

Habitat in tabulis pineis aëri expositis in Germania. *Lect. in Lusatia (Schmidt).*

Diagn. Tabulas pineas aëri expositas lato tractu investiunt caespituli parvi solo suo arcte adpressi a dimidia ad integram lineam lati, vario modo confluentes, ligno tamen per maculas ubique elucent. Altitudo caespitis una cum setulis vix partis octavae lineae. Superficie inaequales sunt, per lentem e granulis irregularibus vix magnitudine seminis Nicotianae Tabaci conflati et setis brevibus erectis strictis horridi. Color aterrimi carbonis, nitoris expers. Sub microscopio composito flocci pellucidi apparent, distincte articulati. Globuli thallo impositi e floccorum primordialium ramulis intrantibus denseque inter se implexis oriuntur. Globuli isti e superficie emittunt setas erectas strictas confertas, diametri aequalis, integras nec septatas, obscuras fastigiatas, ut planta primo adspectu Conopleae speciem prae se ferat; sed flocci hi sporidia appellari nequeunt, quae globulis tamquam stromati immersa essent, cum non articulati sint, sed potius pro floccorum primordialium ramis validioribus e globulo rursus emergentibus, habendi sunt. (Nees).

SERIES VII.

Sporidia, sporangiave non visa.

A. TRICHOIDEI.

Flocci teneri non parasitici.

Not. Qui ad hanc sectionem A. referuntur fungi a praecedentibus structura non differunt, nec in plantis vegetis crescunt, sed in corporibus organicis mortuis putrescentibus, corruptis pronascuntur. Habitu facillime, characteribus difficillime a sequentibus differunt. Omnes vero fungi tam hujus, quam sequentis sectionis plantae dubiae sunt.

67. HELICOMYCES.

Flocci suberecti spiraliter intorti apice septis distincti.

1. HELICOMYCES *roseus.*

H. caespite effuso, floccis roseis.
H. roseus. *Link Obs. I.* 1. *p.* 19. *Nees fung. p.* 40. *f.* 37.

Habitat in truncis putrescentibus Germaniae. *Lectus Rostochii (Lk. Ditmar).*

Diagn. Maculas roseas tenuissimas at late effusas efficit in truncis arborum putrescentibus. Flocci tenerrimi oculo nudo vix conspicui. Sub microscopio composito flocci breves apparent pro tota fere parte spiraliter convoluti basi firmiter ligno adnati basique erecti. Color evanidus, ipsaque plantula, utpote tenerrima facile perit.

68. DEMATIUM.

Flocci decumbentes aequaliter ramosi intricati non septati.

1. DEMATIUM *nigrum.*

D. thallo crasso effuso, floccis dense intricatis e griseo et fusco-nigris mollusculis.
D. nigrum. *Link Obs. I. p.* 19.
Sporotrichum nigrum. *Link Obs. II. p.* 35.
Racodium vulgare. *Fries Obs.* 1. *p.* 215.
Racodium nigrum. *Schumach. saell.* 2. *p.* 447.
Racodium resinae. *Fries obs.* 1. *p.* 216. *sec. spec. Auct.*

Habitat in cortice arborum putrescente in Europa boreali. (*v. v.*)

Diagn. Thallum format longe lateque expansum lin. et ultra crassum, floccis nudo oculo bene conspicuis nigris reflexo lumine, e griseo fuscis lumine transparente. Sporidia repetita disquisitione non inveni. Quod nomine Racodii resinae a cel. Friesio accepi ab ejusdem Racodio vulgari non differt, nec utrumque a Dematio nigro.

1. DEMATIUM *mollissimum.*

D. thallo effuso crasso, floccis densiuscule intricatis e griseo et fusco nigris mollissimis.

Habitat in cortice arborum ramisque putrescentibus. Lectum Rostochii (Lk.). (v. v.)

Diagn. Affine praecedenti et forte varietas at thallus multo crassior floccis minus intricatis tactu mollissimis reflexo lumine nigris, transparente e griseo-fuscis. Racodii rupestris nomine quoque obtinui.

3. DEMATIUM *fuscum.*

D. thallo effuso crasso, floccis dense intricatis fuscis.

Habitat in cortice arborum, praesertim ramorum in Germania. *Lectum in Franconia, Berolini (Nees, Ehrenberg). (v. v.)*

Diagn. D nigro valde simile at colore fusco aut fuscescente in cinereum transeunte. Ramulos tenuiores investit.

4. DEMATIUM *badium.*

D. thallo effuso crassiusculo, floccis densissime intricatis badiis.

Habitat ad arborum ramos dejectos in Germania. *Lect. Rostochii (Lk.) (v. v.)*

Diagn. A praecedentibus praesertim colore differt, qui badius est in nullum alium transiens et diu persistens. Flocci quoque densius intricati frequenter angulo recto ramosi.

5. DEMATIUM *jubatum.*

D. thallo effuso crasso, floccis densiuscule intricatis fusco-flavis grisescentibus.

Sporotrichum jubatum. *Link Obs. II. p. 35.*

Habitat ad ramos dejectos in Germania. *Lect. prope Rostochium. (Lk.) (v. v.)*

Diagn. Ramos dejectos in humidis pelle investit laxe incumbente, colore e flavo in griseum vertente. Flocci elastici crassiusculi.

6. DEMATIUM *vitellinum.*

D. thallo effuso crassiusculo, floccis densiuscule intricatis vitellinis, colore persistente.

Habitat ad ramos truncosque persistentes in Germania. *Lectum prope Rostochium* (*Lk.*). (*v. v.*)

Diagn. Valde affine praecedenti et forte varietas, at color diutius persistens thallus paullo tenerior minus laxe ramos obtegens.

7. DEMATIUM *rupestre.*

D. thallo effuso crasso, floccis dense intricatis aterrimis crassitie inaequalibus.

D. rupestre *Link Obs. I. p.* 19. *Nees fung. p.* 76. *f.* 73. *Mart. erlang. p* 358.

Racodium rupestre. *Pers. syn. p.* 701. *myc.* 1. *p.* 68. *Albert. et Schwein nisk. p.* 372.

Byssus antiquitatis. *Weiss crypt. goett. p.* 15.

Byssus rupestris. *De Cand fr.* 2. *p.* 592. *B.*

Habitat in rupibus terra humida instratis in Germania. *Lectum Goettingae, in Franconia etc.* (*Persoon, Funke*). (*v. s.*)

Diagn. Differt a D. nigro cui simile floccis crassioribus, quibusdam praesertim crassitie insignibus magis exstantibus rigidioribus, colore numquam in griseum vertente. Flocci opaci. Crescit in rupibus cum D. nigrum nonnisi in arborum cortice degat.

8. DEMATIUM *rupincola.*

D. thallo effuso crasso, floccis densissime intricatis nigris crassitie subaequalibus.

Racodium rupestre β petraeum. *Pers. syn p.* 701.

Byssus petraea. *Wulfen Schrift. d. Berlin. Gesellsch. nirforsch. Frde.* 3. *p.* 101.

Habitat in rupibus in Helvetia, Austria (*v. Wulfen, Schleicher*). (*v. s.*)

Diagn Pannum refert dense contextum quasi tonsum, floccis rigidioribus ac fragilioribus ac in praecedente. Flocci sub microscopio transparentes.

9. DEMATIUM *Muscorum.*

D. thallo effuso dependente crasso, floccis laxe intricatis fuscis.

D. Muscorum. *Schleich. exsicc.*
Habitat in Muscis, eorum caules obvolvens frequens in Europa media. *Lectum Rostochii, in Franconia, Helvetia* (*Lk.*, Nees, *Schleich.*). (*v. v.*)
Diagn. Radiculis Muscorum simillimum et Neesius in litteris metamorphosin putat radicularum Muscorum. Ramosissimum est, floccis sub microscopio pellucidis.

Species obscurae.

10. DEMATIUM *resinae.*

D. thallo effuso crasso, floccis dense intricatis divaricatis nigris.
Racodium Resinae. *Fries obs.* 1. 215? *Pers. myc.* 1. *p.* 67.
Habitat in resina Pini Abietis Europae *dispositis.*
Diagn. Thallus molliusculus, floccis inaequalibus. (*Pers.*)

11. DEMATIUM *turfaceum.*

D. subcompactum dilatatum nigricans, filis brevissimis.
Racodium turfaceum. *Pers. myc.* 1. *p.* 68.
Habitat in Helvetia *in turfaceis et sphagnosis, subtus magis condensatum ibique colore subspadiceum.*

12. DEMATIUM *cornutum.*

D. late effusum atro-fuligineum, corpusculis crassis elongatis compactis intermixtis.
Racodium cornutum. *Pers. myc.* 1. *p.* 68.
Hab. in Gallia (*Rouen*) *et* Helvetia *ad caudices Betulae albae quos destrui latitudine saepe magna* (*Pers.*)
Obs. Corpuscula Sclerotioidea nunc recta saepius tamen incurva parum compressa et stricta, substantia sicca et colore paullo sunt dilutiora. Forte sui generis vegetabile. (*Pers.*)

13. DEMATIUM *Aluta.*

D. late expansum densius contextum cinnamomeum nitidum.
Racodium Aluta. *Pers. syn. p.* 702. *myc.* 1. *p.* 69.
Byssus Aluta. *Dec. fr.* 6. *p.* 10.

Provenit rarius in interiore arborum excavatarum. Pulchra sed parum cognita species. (*Pers.*)

β *quercinum, minus molle, superficie inferiore cum ligno arcte connatum.*

Hab. ad caudices caesos quercinos prope Neuchatel (*Chaillet*). *Colore exacte cum antecedente convenit, sed paullo durius est.* (*Pers.*)

14. DEMATIUM *subcorticale.*

D. late effusum subtenue interruptum ferrugineum, superficie subuncta demum canescente.

Racodium subcorticale. *Pers. myc.* 1. *p.* 69.

Hyphasma flavescens. *Rebent. neom. p.* 397?

Hab. in Gallia *inter corticem et lignum. Hinc ad Xylostromata, etiam ob superficiem accedit, sed substantia interna lanaginosa. Aetate provectiore etiam in pulverem parum solutum est, tunc Sporotrichis simile.* (*Persoon*).

15. DEMATIUM *strigosum.*

D. crassiusculum densius compactum obscure ferrugineum, filis nonnullis rigidioribus substrigosum.

Racodium strigosum. *Pers. myc.* 1. *p.* 69.

Hab. in Pedemontio, Balbis. *Ligno molliori arctius adhaerens. Filis dense intertextis et colore opaco non ad Ozonium auricomum pertinere potest* (*Persoon*).

16. DEMATIUM *castaneum.*

D. longitudinaliter effusum, filis densis parallelis contextum.

Racodium badium. *Pers. myc.* 1. *p.* 70.

Hab. ad ramos exsiccatos, prope Parisios.

Obs. Colore amoene ferrugineo-badio et dispositione fibrillarum, quae ad marginem saepe in superficiem unitam condensantur, sese distinguit (*Persoon*).

17. DEMATIUM *fusco-badium.*

D. sublate effusum tenuissimum dense contextum opacum fusco-badium.

Racodium fuscum. *Pers. myc.* 1. *p.* 70.

Parisiis in cellis detectum a cl. Beaucois: 2 unc. latum, 4 unc. longum, calce saeque inquinatum, filis non distinctis (Persoon).

18. DEMATIUM *rubiginosum.*

D. mollissimum rufo-spadiceum, fibrillis nonnullis distinctis crassiusculis.

Racodium rubiginosum. *Pers. myc.* 1. *p.* 70.

Ad muros in cellis habitare videtur ob particulas calcareas adspersas. (Pers.)

19. DEMATIUM *striatum.*

D. sordide pallens in membranam tenuem subcompactum striatum liberum.

Racodium striatum. *Pers. myc.* 1. *p.* 70.

Racodium Aluta. *Schleich. excl. syn.*

Hab. in Helvetia (*Persoon*).

20. DEMATIUM *ochroleucum.*

D. subparvum effusum laxius contextum ochroleucum nitidum.

Racodium ochroleucum. *Pers. myc.* 1. *p.* 71.

Hab. in Helvetia, *prope Neufchatel ad ligna exsiccata cellulosa, iisque immersum. Colore primum subochraceo grato distinguitur. Vix* ½ *unc. magnum applanatum (Persoon).*

21. DEMATIUM *linteaceum.*

D. dilatatum submembranaceum liberum, amoene pallidum.

Racodium linteaceum. *Pers. myc.* 1. *p.* 71.

Hab. in Gallia. *Locus natalis proprior ignotus. Textura lintei fere, et ejus color chirothecis coriaceis similis est, sed paullo dilutior fere exsiccatione (Persoon).*

22. DEMATIUM *lanatum.*

D. laxum mollissimum albido-pallidum lanam referens.

Racodium lanatum. *Pers. myc.* 1. *p.* 71.

Hanoviae repertum a Dr. Nees (Persoon).

23. DEMATIUM *papyraceum.*

D. subtenue late effusum, ligno, quod saepius intrat, arcte adhaerens.

Racodium papyraceum. *Pers. syn. p.* 703. *myc.* 1. *p.* 71. *Sowerb. engl. fung. t.* 387. *f.* 10.

Crescit supra et intra ligna cariosa praesertim salicum. Subtomentosum sed ad substantiam membranaceam tendit.

Obs. Non raro ad ligna exsiccata per intervalla et intra cavitates reperiuntur flocci sericei amoene albi, sed non intertexti, quos ne cum Racodio nostro confundas cave. Hi enim nil aliud videntur, quam fibrae ipsius ligni, in Asbestum vegetabile, ut ita dicam, solutae (Persoon).

24. DEMATIUM *Rhizophila.*

D. subterraneum candidum subflocculosum.

Racodium Rhizophila. *Pers. myc.* 1. *p.* 72.

Observatur ad extimas fibrillulas arbuscularum languescentium aut emortuarum, quibus valde noxium (Persoon).

Not. Species a nr. 11—24 *valde obscurae. De reliquis Dematii speciebus cfr. Cladosporium. D. ciliare Pers. syn. Albert. et Schwein. p.* 366. *est Helminthosporium velutinum. D. strigosum. Pers. syn. est Ozonium strigosum et D. stuposum. Pers. syn. est Ozonium stuposum. D. rupestre. Pers. syn. est Alga. Dematia a cl. Schumachero indicata D. aureum, fuscum, olivaceum et conicum saell.* 2. *p.* 444. 445. *mihi obscura. Obscurae species quoque sunt: Racodium carneum, cinereum, flutaceum pallidum, umbrinum, fuligineum, album Schumach. saell.* 2. *p.* 447.

69. OZONIUM.

Flocci decumbentes ramosi in ramos majores minoresque appositi, tenuiores septati.

Not. Flocci ramosi quidem sunt, at ramificatio in ramos majores et minores, quibus genus hocce distinguitur, appositione floccorum et separatione efficitur, uti ramificatio nervorum in foliis separatione vasorum fieri solet. Dubium genus, ea enim floccorum appositio in fungis majoribus locum ha-

bet, ita ut Ozonia e thallo radicante aliorum fungorum orta videantur.

1. OZONIUM *auricomum.*

O. thallo effuso incumbente, floccis ramosissimis vitellinis, extimis tenuissimis.
O. auricomum. *Link Obs. I. p.* 19.
O. fulvum. *Pers. myc.* 1. *p.* 87.
Rhizomorpha capillaris. *Roth in Uster. Ann. d. Bot.* 1. *p.* 8. *t. f.* 3.
Ceratonema capillare. *Pers. myc.* 1. *p.* 48.
Dematium strigosum. *Pers. syn. p.* 695. *Albert. et Schwein. p.* 366.
Byssus fulva. *Huds. Humboldt friberg. p.* 62.
Byssus barbata. *Engl. Botan. t.* 701.
Byssus aurantiaca. *De Cand. fr.* 2. *p.* 68.

Hab. in arboribus caesis putrescentibus sub cortice ad radicem praesertim in Europa. (*v. v.*)

Diagn. Strato valde expanso lignum sub cortice obtegit, tomentum efficit magis minusve densum, floccis magis minusve rigidis. Nudis oculis flocci crassiores a reliquis primo adspectu distinguuntur. Color magis minusque fulvus. Sub microscopio composito flocci in ramis majoribus dense appositi et paralleli sunt, septis nullis, in ramis minoribus solitarii ramosi septis saepe creberrimis distincti. Nec vesiculas nec granula inspersa vidi.

Not. Ozonium radians Pers. Myc. 1. *p.* 88. *ab O. auricomo certe non differt, quamquam tenerius et mollius sit, Ozonium auricomum nostrum inter O. fulvum Pers. et O. radians ej. intermedium est et utrumque conjungit.*

2. OZONIUM *stuposum.*

O. thallo descendente, floccis ramosis umbrinis, hinc inde fulvis glabris, extimis tenuioribus.
O. stuposum. *Pers. Myc.* 1. *p.* 87.
Dematium stuposum. *Pers. syn. p.* 696. *Albert. et Schwein. p.* 366.
Byssus intertexta. *De Cand. fr.* 2. *p.* 68.

Hab. in trabibus putrescentibus in locis subterraneis in Europa (*Persoon*). (*v. s.*)

Diagn. Longe lateque in rimis trabium descendit radiculas plantae phanerogamae mentiens. Ab O. auricomo differt tam colore, quam ramis praesertim ultimis crassioribus nec in tomentum subtile transeuntibus. Color umbrinus, hinc inde in aurantiacum vergens.

3. OZONIUM *parietinum.*

O. thallo descendente, floccis ramosis umbrinis, tomentosis.

Himantia parietina. *Pers. in litt.*

Hab. in parietibus locis suffocatis (*Persoon*). (*v. s.*)

Diagn. Praecedenti externo habita simile differt tamen colore obscure umbrino unicolore, floccis tomento tenui dense obtecto ejusdem coloris.

4. OZONIUM *candidum.*

O. thallo incumbente, floccis radiatim expansis ramosissimis albis.

O. candidum. *Mart. erlang. p.* 358.

Himantia candida. *Pers. syn.* 703. *Albert. et Schw. nisk. p.* 373. *Schumach saell.* 2. *p.* 443.

Byssus candida. *Huds. angl. p.* 601. *Dillen. hist. musc. t.* 1. *f.* 15. *A.*

Hab. in ligno putrescente Europae. (*v. v.*)

Diagn. Eleganter expansa in ramos ramulosque stellatim et penicillatim expansos ligna tegit, colore junioris candido tum sordide albo tandem flavescente. Sporidia nulla inspersa sunt, quo charactere a Sporotricho byssino differt.

5. OZONIUM *lateritium.*

O. fibrillis vage ramosis subdifformibus incrassatis glabris sublateritiis.

O. lateritium. *Pers. myc.* 1. *p.* 87.

Himantia lateritia. *Pers. syn. p.* 704.

Clavaria filiformis. *Sowerb. engl. fung. t.* 387. *f.* 4.

Hab. supra folia exsiccata praesertim Castaneae, sero autumno, supra quae aliquando totum effusum et iis fere agglutinatum colore tunc subcroseo, plerumque vero liberum adscendens rarius ramosum, colore ex rufescente, lateritio et spadiceo variat, apice passim

albicante. Plantula dubii loci, etiam ad Isarias ob formam quodammodo accedit, sed omnino glabra et substantia sicca est. (Pers.)

APP. FIBRILLARIA PERS.

Rhizoidea, fibrillosa, vage ramosa, libera, farcta, subfarinacea (alba).

1. FIBRILLARIA *implexa.*

F. ramosissime implexa subdichotoma, ramulis attenuatis tenuioribus.
F. implexa. *Pers. myc.* 1. *p.* 52.
? Rhizomorpha fibrillosa Achar.

Rarius observatur intra truncos cariosos et in cryptis inter quisquilias.

2. FIBRILLARIA *Arbuscula.*

F. ramosissima alba, ramis crassis subcomplicatis, primario dilatato compresso.
F. Arbuscula. *Pers. myc.* 1. *p.* 52.

Turino missa a Balbis. Ultra 2 unc. longa et lata. An forma indicata ei constans?

3. FIBRILLARIA *vestita.*

F. subpilosa albida, cortice exteriore laxo membranaceo.
F. vestita. *Pers. myc.* 1. *p.* 53.
Rhizomorpha vestita. *Rebent. ind pl. berol. p.* 46.
Hab. in Germania. *Singularis ob corticem laxum, circumdantem fibrillam glabram, pallidam et solidam. Externe pilis brevibus et sparsis obsita est.*

4. FIBRILLARIA *subterranea.*

F. subramosa crassa teres subfarinacea, ramulis crassitudine subaequalibus divaricatis.
F. subterranea. *Pers myc.* 1. *p.* 53.

Lipsiae reperta sub terra, trunco vetusto adhaerens, saepe octopedalis. Schwaegrichen.

5. FIBRILLARIA *felina.*

F. subintertexta ramosa farinoso-villosa alba.
F. felina. *Pers. myc.* 1. *p.* 53.
Clavaria felina. *De Cand. fr.* 6. *p.* 30.
Passim in cellis ad excrementa Felis quae demum fere tota fibrillis complicatis et dense aggregatis farcta sunt. An potius Isariae species?

6. FIBRILLARIA *xylotricha.*

F. ramosissima implexa tenuis subglabra albida pallens.
F. xylotricha. *Pers. myc.* 1. *p.* 54.
Hab. ad palos putredine emollitos, quos penetrat, plantarum radiculas capilliformes imitans. Ramulos multo copiosiores et flexiles habet, quam ceterae species. Communicata a cl. Labillardière.
Obs. Rhizomorphae corticata et xylostroma Ach. syn. Lich quoque pertinere videntur ad hocce genus, quod, fateor, mere artificiale est et Himantiis nonnullisque Isariis affine, sed ab his forma et crescendi modo etc. differt (Persoon).
Not. ad Fibrillarias. Species omnes denuo observandae an vera Ozonia, an thallum aliarum sistant specierum.

Genus obscurum.

HYPHA.

Flocci decumbentes ramosi, ad tactum diffluentes fugaces.

Obs. Fungi aut subterranei aut in locis suffocatis et cryptis vegetant, colore plerumque albi.

Not. Genus obscurum, dubiae Species e Persooni Mycologia citatae.

1. HYPHA *bombycina.*

H. subrotunda indeterminata humida floccos gossypinos referens.
H. bombycina *Pers. myc.* 1. *p.* 63.
Hyphasma floccosum. *Rebent. neom. p.* 396.

Dematium bombycinum. *Pers. syn. p.* 696. *Albert. et Schwein. p.* 366.
Byssus floccosa. *Schreb. Mart. erlang. p.* 345.
Byssus etc. *Dillen. Hist. Musc. p.* 5. *t.* 1. *f.* 9.
Hab. in fodinis et cellis, lignis et lapidibus adhaerens. Colore niveo.

2. HYPHA *flabellata.*

H. dilatata fasciculato-membranacea subpeltata basi in petiolum condensata.
H. flabellata. *Pers. myc.* 1. *p.* 69.
Provenit iisdem in locis sed rarissime. Magis compacta est.

3. HYPHA *elongata.*

H. plus minus in ramos teretes varie elongatos et subdichotomos divisa.
H. elongata. *Pers. myc.* 1. *p.* 63.
Byssus elongata. *De Cand. fl.* 2. *p.* 67?
In subterraneis 3—7 *lin. crassa et fere spithamam longa.*

4. HYPHA *muralis.*

H. latissima flocculosa candida exsiccata submembranacea.
H. muralis. *Pers. myc.* 1. *p.* 64.
Hab. in cavis et cellis humidis ad muros aut ligna, nonnumquam latitudine bipedali sese extendens.
Obs. An forte idem vegetabile ac sequens? sed nulla forma induram eam hactenus vidi. An subiculum Poriae cujusdam?
Cfr. Sowerb. fung. t. 387. *f.* 6.

5. HYPHA *argentea.*

H. fibroso-membranacea, filis e centro radiantibus in ramos tenuissimos divisis.
H. argentea. *Pers. myc.* 1. *p.* 64.
Byssus parietina β argentea. *De Cand. fr.* 1. *p.* 66.
Byssus etc. *Vaill. Bot. paris. t* 8. *f.* 1.
Mesenterica argentea. *Pers. syn. p.* 706.
Hab. in domibus, ad parietes et laqueatam contignationem, locis humidis et suffocatis.

β? *cellaris* filamentosa alba, filis repentibus tenerrimis implexis. *Humb. friberg. p.* 66.

Hab. in omnibus puteis atque cuniculis fodinarum saxa atque trabes obducens. Elegantissimos interdum orbiculos fingit, latitudine semipedales.

6. HYPHA *speciosa.*

H. repens nivea ramosissima, ramis flexuosis compressis apice dilatatis orbiculatim dispersis.
H. speciosa. *Pers. myc.* 1. *p.* 64.
Byssus speciosa. *Humb. frib. p.* 69. *t.* 4. *f.* 18.

Hab. in omnibus cuniculis Fribergensibus lignum atque saxa obducens circulos formans diametri 2—5 *pedales mollissimos* (*Humb.*).

7. HYPHA *plumosa.*

H. nivea ramosa, ramulis oppositis pinnata.
H. plumosa. *Pers. myc.* 1. *p.* 64.
Byssus plumosa. *Humb. frib. p.* 65. *t.* 2. *f.* 1.

Crescit cum priore. Bipollicaris dependens nivea, pappo plumoso simillima sericeo-splendens (*Humb.*).

8. HYPHA *digitata.*

H. dependens, filis longissimis in funem niveum contextis, apiceque 5—7 dactylo.
H. digitata. *Pers. myc.* 1. *p.* 65.
Byssus digitata. *Humb. frib. p.* 67. *f.* 10.

Hab. in fodinis metallicis Saxoniae *e columnis ligneis pendula. Funis mollissimus* 3—4 *uncialis, ex filamentis parallelis contextus, sed versus apicem in* 5—7 *ramos digitatim divisus.* (*H.*)

9. HYPHA *clavata.*

H. erecta nivea versus basin attenuata clavaeformis.
H clavata. *Pers. myc.* 1. *p.* 65.
Byssus clavata. *Humb. frib. p.* 67. *t.* 4. *f.* 17.

Hab. in fodinis Fribergensibus.

Attactu destruitur, uncialis. Fila apice intertexta sericeo splendentia. (*H.*)

10. HYPHA *Penicillum.*

H. erecta nivea, filamentis fasciculatim congestis (numquam ramosis Humb.).

H. Penicillum. *Pers. myc. p.* 65.

Byssus Penicillum. *Scop. Dissertat. I. p.* 91. *t.* 2. *f.* 3. 4. *Humb. frib. p.* 68.

Hab. in fodinis metallicis. Semiuncialis. (*H.*)

11. HYPHA *minima.*

H. filamentosa nivea, filamentis erectis simplicissimis minimis.

H. minima. *Pers. myc.* 1. *p.* 66.

Byssus minima. *Scop. Dissert. I. p.* 90. *t.* 2. *f.* 1. *Humb. frib. p.* 66.

Crescit ad columnas ligneas in fodinis metallicis. H. Penicillo similis sed filamenta rarius fasciculata, longitudine vix dimidiam lineae partem aequantia. (*H.*)

12. HYPHA *radiciformis.*

H. nivea tenerrima, filamentis ramosis pendulis, globis floccosis hinc inde adhaerentibus.

H. radiciformis. *Pers. myc.* 1. *p* 66.

Byssus radiciformis. *Leske Reise durch Sachsen p.* 92. *t.* 3. *Humb. frib. p.* 68.

Hab. ad columnas ligneas in fodinis metallicis.

Corpora globosa haud byssacea, sed celluloso-membranosa fere fungosa semper adsunt et cum ramulis arcte contexta sunt. Hinc non parasitica. (*H.*)

13. HYPHA *globosa.*

H. expansa, radians, dein in globum pendulum glomerata.

H. globosa. *Pers. myc. p.* 66.

Byssus globosa. *Leske Reise durch Sachsen p.* 92. *t.* 3. *f.* 2. *Scopol. Diss.* 1. *p.* 93. *t.* 16. *Humb. frib. p.* 70.

Hab. ad trabes in fodinis metallicis. Expansio filamentosa, parte inferiore sustinet saepe ingentes glomeres

concolores niveos (Scop.) Humboldti planta Leskeanae similior in solis radiis flavescebat.

14. HYPHA *membranacea.*

H. explanata nivea, membrana ex filamentis constans dense intertexta.

H. membranacea. *Pers. myc.* 1. *p.* 66.

Byssus membranacea. *Humb. frib. p.* 69.

Byssus bombycina. *Humb. de plant. subterr. n.* 6. *excl. synon.*

Byssus floccosa. *Scop. Diss.* 1. *p.* 92. *t.* 4.

Hab. in fodinis metallicis. In membranam sinuatam panni instar expansa.

15. HYPHA *laciniata.*

H. e simplici petiolo pendens substantia e filis rectis contexta et in lacinias multas planas imbricatas dissecta.

H. laciniata. *Pers. myc.* 1. *p.* 66.

Byssus laciniata. *Scop. Diss.* 1. *p.* 92. *t.* 5.

Hab. in fodinis metallicis.

Not. ad genus. Himantiae genus huic proximum ad Gymnomycetes pertinet. Ad Himantiam quoque referrem Hyphaem sulphuream. Neesii N. Act. Ac. Caes. Leop. 11. *p.* 568.

Hypha araneosa. Nees ibd. p. 567. *quam a cel. Hellwigio accepi sporangia habet inspersa, hinc nullo modo hujus loci. At specimina nimis sunt compressa ut genus determinare non audeam.*

B. MEMBRANACEI.

Flocci tenues arcte adhaerentes parasitici.

Not. Plantulae huc relatae in foliis vegetis reperiuntur arcte ipsis adnatae. Pleraeque dubiae sunt indolis, de quibus adfirmare non licet an fungi sint, an pilorum mutationes monstrosae.

70. ERINEUM.

Flocci erecti simplices aut ramosi, rarissime subseptati.

Subgen. 1. *Flocci (plerique) filiformes aut aequati. Phyllerium.*

1. ERINEUM *Rubi.*

E. caespitibus effusis haud immersis, floccis subintricatis rectis cylindricis apice acuminatis ex albo-griseo-viridulis.

E. Rubi. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 171. *Pers. myc.* 1. *p.* 2.

Phyllerium Rubi. *Fries Obs. myc.* 2. *p.* 371. *Schl. Erin. p.* 8.

Hab. amphigenum et saepius hypogenum in foliis Ruborum in Europa.

Diagn. In pagina superiore foliorum maculae apparent virentes aut fusco-virentes floccis parcis, quibus appositum est in pagina inferiore tomentum albo-virescens et fuscescens. Sub microscopio composito a pilis folii non nisi magnitudine differunt (*Schlechtend.*)

2. ERINEUM *tiliaceum.*

E. caespitibus limitatis saepe confluentibus pulvinatis immersis, floccis densis intricatis apice incurvis aequatis albidis plus minus fuscescentibus.

E. tiliaceum. *Pers. obs.* 1. *p.* 25. *Syn. fung. p.* 700. *myc.* 1. *p.* 3. *Albert. et Schweinitz nisk. p.* 370. *Schumach. saell.* 2. *p.* 446. *Rebent. neom. p.* 396. *Link Obs. I. p.* 19. *Nees fung. p.* 63. *t.* 5. *f.* 62. *Nov. Act. Acad. Caesar. Leop. T.* 9. *p.* 240. *t.* 5. *f.* 10. *B. de Caud. fr.* 2. 74. *Mart. erlang. p.* 346. *Grevill. Erin. p.* 74. *t.* 3. *f.* 3. *Kunze Myk. Hfte.* 2. *p.* 153.

Phyllerium tiliaceum. *Fries Obs.* 1. *p.* 219. *Schl. Erin. p.* 10.

Habitat amphigenum in foliis Tiliarum Europae *continentis.* (*v. v.*)

Diagn. In pagina inferiore plerumque caespites format pulvinatos aut subrotundos elongatos praesertim foliorum juniorum et teneriorum. Flocci densissime aggregati teretes apice torti diaphani, juniores albidi tunc rosei aut flavescentes tandem fuscescentes et fusci apice non attenuati. Martius in his sporidia vidit seu granula diaphana, quae vero Schlechtendalius in pilis quoque inveniri adfirmat.

3. ERINEUM *nervale.*

E. caespitibus linearibus nervisequis, floccis densis intricatis apice incurvis aequatis albidis plus minus fuscescentibus.

E. nervale. *Kze. Myk. Hfte* 2. *p.* 154. *fung. exs. n.* 198.
Phyllerium tiliaceum nervale. *Schlecht. Er. p.* 10.
Hab. epigenum in foliis Tiliarum Europae. (*v. v.*)
Diagn. Forma caespitum et loco epigeno differt a praecedente.

4. ERINEUM *Juglandis.*

Phyllerium caespitibus limitatis profundissime immersis, floccis densis intricatis suberectis apice attenuatis albidis.

Erineum Juglandis. *Schleich. de Cand. Encycl. bot.* 8. *p.* 217. *fr.* 6. *p.* 15. *Pers. myc.* 1. *p.* 2. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 170.
Erineum subulatum. *Grevill. Erin. p.* 75. *t.* 2. *f.* 4.
Phyllerium juglandinum. *Fries obs. myc.* 1. *p.* 218. *Schlechtend. Er. p.* 12.
Habitat hypogenum in foliis Juglandis regiae in Europa. (*v. v.*)
Diagn. Caespites format plerumque a duobus nervis lateralibus limitatos transversos oblongos seu quadrangulares; cui in pagina superiore maculae respondent fuscae. Flocci teretes fusci varie flexi apice paullulum attenuati interdum curvati recentes albi sicci flavescentes. Granula oblonga diaphana non solum in his sed quoque in pilis plantae vidit Schlechtendalius. Pilos quoque alios in superficie foliorum sparsos prope caespites Phyllerii aggregatos vidi et floccis simillimos factos, ita ut nullus dubitem Phyllerium hocce e pilis mutatis ortum esse, quod Candollius jamjam putavit.

5. ERINEUM *ilicinum.*

Ph. caespitibus effusis haud immersis, floccis intricatis filiformibus tortis apice subattenuatis primo albidis demum ex rufo-spadiceis.

F. ilicinum. *De Cand. fr.* 6. *p.* 14. *Encycl. bot.* 8. *p.* 218. *Grevill. Erin. p.* 78. *t.* 2. *f.* 5. *Pers. myc.* 1. *p.* 4. *Kunze Mykol. Hfte* 2. *p.* 160.

Phyllerium dryinum. *Schlecht. Erin. p.* 13.

Habitat hypogenum rarius epigenum in foliis Quercuum sempervirentium Europae australis *frequens.* (*v. v.*)

Diagn. Caespites variae formae in pagina inferiore foliorum constituit colore ferrugineo intra tomentum album valde conspicuos, cui oppositae sunt in pagina superiore prominentiae sat elevatae pallidi coloris. Caespites in hac pagina superiore pauci et parvi interdum insunt. Flocci juniores subclavati tum longiores a lata basi in acumen sensim decrescentibus valde torti. Margines folii eligit, qui itaque involuti.

6. ERINEUM *Dombeyae.*

E. caespitibus limitatis crassiusculis planis, floccis intricatis compressis varie tortis subarticulatis aequatis obtusis fusco-ferrugineis.

E. Dombeyae. *Schlechtend. Erin. p.* 14.

Hab. hypogenum in foliis Dombeyae punctatae. Lect. in Herbar. Willden. (*v. s.*)

Diagn. Caespites format, qui colorem ferrugineum magis obscurum ac pili ibidem positi ostendunt. Flocci valde intricati compressi crassiusculi valde contorti zonis obscurioribus latioribus angustioribusque cingulati quasi articulati, hinc inde quoque lineis et maculis grumosis notati. (*Schlechtend.*)

7. ERINEUM *quercinum.*

Ph. caespitibus limitatis, floccis intricatis compressis varie flexis aequatis obtusis dilute flavo-fuscescentibus. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 162.

Phyllerium quercinum. *Kze. et Schmidt Myk. Hfte* 1. *p.* 84. *Schl. Er. p.* 15. *Pers. myc.* 1. *p.* 3.

Hab. Hypogenum in foliis Quercus pubescentis Europae australis. *Lectum prope Capo d'Istria (Hornschuch).* (*v. s.*)

Diagn. Caespites varie expansos format immersos pagina aversa sat elevatos. Flocci compressi uti ligula diaphani.

8. ERINEUM *Chrysophylli.*

Ph. caespitibus limitatis, floccis congestis rectiusculis vix intricatis apice acuminatis castaneo-fuscis.

E. Chrysophylli. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 162. (*ex Schlechtend*)

Phyllerium Chrysophylli. *Schlechtend. Erin. p.* 15.

Hab. in foliis Chaerophylli microcarpi Swartz. Lect. in Herb. Willd. (*v. s.*)

Diagn. Caespites format in utraque pagina folii et quidem immersos, altera vero pagina sat elevatos. Flocci sub microscopio perlucent angustiores ac in speciebus adfinibus.

9. ERINEUM *pyrinum.*

E. caespitibus effusis limitatisque crassiusculis haud immersis, floccis primo pallidis s. rubellis demum spadiceo-ferrugineis laxe intricatis planis varie flexis apice obtusis.

E. pyrinum. *Pers. disp. meth. p.* 43. *t.* 3. *f.* 2. *syn. p.* 700. *myc.* 1. *p.* 4. *Alb. et Schwein. nisk. p.* 370. *Schulz starg. p.* 505. *Mart. erlang. p.* 347. *Grevill. scot. crypt. fl. n.* 22. *Kze. Myk. Hfte* 2. *p.* 156.

Erineum malinum. *Encycl. bot.* 8. *p.* 217.

Phyllerium pyrinum. *Fries obs. myc.* 1. *p.* 219. *Schlecht. Er. p.* 15.

Hab. amphigenum rarius epigenum in foliis et petiolis Pyri Mali (hortensis et sylvestris), communis Amelanchier et Pruni spinosae in Europa. (*v. v.*)

Diagn. Caespites interdum totam paginam inferiorem folii occupant, interdum intra nervos circumscripti sunt. In pagina aversa iisdem locis maculae fuscescentes conspicuuntur, rarius in pagina superiore.

Flocci longiusculi, diaphani e colore aureo in fuscum transeunte. In Pruno spinosa flocci magis flavescunt. In Pyro Amelanchier flocci teneriores et apice magis angustati.

10. ERINEUM *acerinum.*

Ph. caespitibus effusis crassis subimmersis, floccis primo albo-cinereis demum rubiginosis dense intricatis cylindricis apice subaduncis.

E. acerinum. *Pers. disp. p.* 48. *syn. p.* 700. *myc. eur.* 1. *p.* 6. (*partim*) *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 163.

E. Platanoidis. *Pers. myc.* 1. *p.* 5.

Phyllerium acerinum. *Fries Obs. myc.* 1. *p.* 218. *Schlechtend. Erin. p.* 17.

Hab. amphigenum in foliis Aceris platanoidis et Pseudo-Platani in Europa. (*v. s.*)

Diagn. Caespites late et irregulariter effusi. Flocci longitudine mediocri at dense intricati, apice interdum capitati subaduncl. Confusum cum E. Pseudo-Platani cfr. Kunze l. c.

11. ERINEUM *semydophilum.*

E. caespitibus limitatis haud immersis, floccis primo ex albido violaceis, demum purpurascentibus intricatis cylindricis varie tortis apice obtusis attenuatisve.

Erineum purpureum. *De Cand. fr.* 6. *p.* 15. *Kze. Myk. Hfte* 2. *p.* 159.

Phyllerium semydophilum. *Schlechtend. Er. p.* 18.

Hab. epigenum in foliis Populae albae et ovatae, in Gallia *et* Germania. (*v. s.*)

Diagn. Caespituli non valde elevati parvi gregarii. Flocci angusti aequati aut apice attenuati diaphani.

12. ERINEUM *Pseudo-Platani.*

Ph. caespitibus limitatis profundis immersis, floccis primo albis demum spadiceo-umbrinis flexuosis clavato cylindricis.

E. Pseudo-Platani. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 165.

Erineum acerinum. *De Cand. Enc.* 8. *p.* 217. *Greville Er. p.* 78. *t.* 2. *f.* 8. (*junior*)

Phyllerium Pseudo-Platani. *Kunze et Schmidt Myk. Hfte* 1. *p.* 84. *Pers. myc.* 1. *p.* 5.

Phyllerium sphendamnium. *Schlechtend. Er. p.* 28.

Hab. hypogenum in foliis Aceris Pseudo-Platani in Europa. (*v. s.*)

Diagn. Caespituli 2—3 *lin. diametro, ut plurimum rotundi valde immersi. Rarius plus quam* 2 *caespites approximati sunt et confluunt. Flocci dense intricati, et torti, juniores saepe capitati primum albolutei, tum aurei tandem ferruginei. Confusum cum E. acerino, cfr. Kunze l. c.*

13. ERINEUM *Vitis.*

Ph. caespitibus effusis subconfluentibus crassiusculis profunde immersis, floccis intricatis cylindricis simplicibus subramosisque apice obtusis primo ex albido rubellis, demum spadiceis.

Erineum Vitis. *De Cand. fr.* 2. *p.* 74. *Enc. bot.* 8. *p.* 217. *Mart. erlang. p.* 346. *Greville Erin. p.* 75. *t.* 2. *f.* 3. *Pers. myc.* 1. *p.* 4. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 166.

Phyllerium Vitis. *Fries obs. myc.* 1. *p.* 219. *Schl. Er. p.* 19.

Habitat hypogenum rarius epigenum in foliis Vitis viniferae, in Europa. (*v. v.*)

Diagn. Caespituli aut limitati aut confluentes convexiusculi immersi, quibus in aversa pagina respondent prominentiae fuscescentes. Flocci longiusculi diaphani aequati interdum hinc inde constricti fere septati aut simplices aut irregulariter ramosi.

14. ERINEUM *Melastomatis.*

E. caespitibus orbicularibus subconfluentibus pulvinatis profunde immersis, floccis primo albido-rubellis demum rufo-spadiceis dense intricatis cylindricis subramosis torulosis obsolete septatis.

E. Melastomatis. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 167.

Habitat hypogenum in foliis Melastomatis ex America. (*Sprengel*).

Diagn. Flocci suferne aut superne attenuati, simplices aut rarius ramosi mediocres intervallis non sat determinatis ventricosi, septis modo magis modo minus evidentibus, intus magis obscure granulosi, ac in aliis speciebus. Caespites rarius nervos folii transcurrunt (*Kunze*).

15. ERINEUM *Calabae.*

E. caespitibus limitatis oblongis transversim positis profunde immersis, floccis flavis cylindricis brevibus curvatis versus apicem attenuatis obsolete septatis.

E. Calabae. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 168.

Habitat praesertim hypogenum in foliis Calophylli Calabae e Portorico (*Sprengel*).

Diagn. Caespites transversim positi flavi speciem statim destinguunt. Flocci tantum curvati non intricati intus granulosi, minus vero ac praecedens species.

16. ERINEUM *atriplicinum.*

E. caespitibus limitatis, floccis septatis aequatis obtusis albidis.

E. atriplicinum. *Nestler exsicc. Herb. Willd.*

Habitat hypogenum in foliis Atriplicis hortensis in Alsatia. (*v. s.*)

Diagn. Species singularis a reliquis valde distincta. Caespites subrotundi immersi, caespitibus Phyllerii tiliacei simillimi, in altera pagina maculis fuscescentibus oppositi. Flocci facilius a folio solvuntur quam reliquae species. Sub microscopio flocci apparent diaphani albi, pilis simillimi hinc inde septati et rarius ramosi. Floccis inspersa sunt corpuscula magna ovalia grumosa e viridi flavescentia, linea obscuriore quae rima videtur distincta. Num ad fungum pertinent, an glandulae sunt folii solutae?

17. ERINEUM *coryleum.*

E. caespitulis immersis opaco-griseis subvariegatis inferis.

Erineum coryleum. *Pers. myc.* 1. *p.* 3. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 155.

Habitat rarius in foliis Coryli Avellanae in Gallia. (*Pers.*)

Diagn. Caespituli cupuliformes molles 2—3 *lin. lati, subrubro variegati* (*Pers.*) *Plantula obscura.*

18. ERINEUM *alnigenum.*

E. caespitibus limitatis subpulvinatis haud immersis, floccis albidis demum ferrugineis densissime intricatis varie tortis obtusis.

E. alnigenum. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 155.

E. alneum. *Nees N. Act. Acad. Caesar. Leop.* 9. *p.* 240. *t.* 5. *f.* 10.

Habitat hypogenum in foliis Alni incanae prope Basileam (*Nees*).

Diagn. Caespites rotundi aut oblongi inter nervos. Flocci initio e luteo grisei, tum luteo-ferruginei diaphani, breviores ac in E. tiliaceo, magis irregulariter torti at apice non incurvi (*Nees*).

19. ERINEUM *tortuosum.*

E. caespitibus effusis subimmersis, floccis albo-ferrugineis cylindricis tortuosis apicibus rotundatis.

E. tortuosum. *Greville Erin.* 1. *p.* 71. *t.* 2. *f.* 2. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 158.

Habitat amphigenum in foliis junioribus Betulae albae in Scotia.

Diagn. In statu juniore album aut pallide luteum. Flocci longi diaphani ravo apice parum incrassati. (*Greville*).

20. ERINEUM *Aucupariae.*

E. caespitibus effusis haud immersis, floccis flexuosis compressis obtusis albis exsiccatis flavescenti rubellis.

E. Aucupariae. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 169.

Phyllerium sorbeum. *Fries obs. myc.* 1. *p.* 218.

Habitat amphigenum in foliis Sorbi Aucupariae in Suecia. (*Fries*).

Diagn. Caespites effusi irregulares tenues. Ab E. Sorbi diversum putat Kunze.

21. ERINEUM *Sorbi.*

E. caespitibus subeffusis haud immersis, floccis intricatis cylindricis apice sub incurvis obtusis primo rubellis tum fulvo-ferrugineis.

E. Sorbi. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 159.

E. sorbeum. *Pers. myc.* 1. *p.* 4.

Phyllerium sorbeum. *Kunze et Schmidt exc. n.* 124.

Habitat amphigenum in foliis Sorbi Aucupariae in Germania. (*v. s*)

Diagn. Caespituli rotundi aut oblongi, rarius irregulariter effusi. Flocci laxe intricati.

22. ERINEUM *Rhamni.*

E. caespitibus effusis haud immersis, floccis laxis compressis curvatis apice obtusis.

E. Rhamni. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 172.

Habitat hypogenum in foliis Rhamni cathartici in Helvetia. (*Chaillet*).

Diagn. Caespites irregulariter effusi tenues. Flocci laxe intricati et laxe positi diaphani. (*K.*)

23. ERINEUM *mespilinum.*

E. caespitibus effusis, floccis compressis e rufescenti olivaceis.

E. mespilinum. *De Cand. fr.* 6. *p.* 13. *Pers. myc.* 1. *p.* 4. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 172.

Diagn. Caespites ovales irregulares longitudine dimidii pollicis. Flocci parum splendentes membranacei coloris rufi ad fusco-violaceum vergentis. Sub microscopio puncta obscuriora ostendunt. (*K.*)

Not. Phyllerium Fries Obs. myc. 1. *p.* 220. *Schlechtend. Er. n.* 2. *p.* 9. *esse gallam Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 172. *adfirmat.*

24. ERINEUM *Quercus cinereae.*

E. caespitibus profunde impressis, floccis cinereis parcis crassiusculis.

E. Quercus cinereae. *Schweinitz syn. fung. Carol. Act. Lips.* 1. *p.* 138. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 173.

Habitat prope La Fayette in America septentrionali *ad folia Quercus cinereae.*

Subgen. 2. *Flocci (plerique) capitati aut clavati, vertice saepe impressi. Erineum stricte sic dictum.*

25. ERINEUM *roseum.*

E. caespitibus effusis haud immersis, floccis stipitatis infundibiliformibus scutellatis stipite brevi tenui.

E. roseum. *Schulz starg. p.* 506. *Schlechtend. Erin. p.* 21. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 150.

E. purpureum. *Fries obs. myc.* 1. *p.* 221.

E. betulinum. *Alb. et Schwein. nisk. p.* 370.

E. Betulae. *De Cand. fr.* 6. *p.* 14? *Enc. bot.* 8. *p.* 218? *excl. saltem syn. Grevill. Erin. p.* 77. *t.* 3. *f.* 9. *scot. crypt. fl. nr.* 21.

Rubigo rosea. *Link. Obs. I. p.* 20.

Habitat epigenum in foliis Betulae albae et pubescentis, nec non nervisequum in foliis Betulae fruticosae (v. v.)

Diagn. Caespites irregulares majores minoresque plani in pagina opposita saepe non notati. Flocci stipite tenui brevi initio claviformes, tum aperti infundibiliformes tandem scutelliformes. Color initio pallide ruber tum purpureus aut sanguineus tandem fusco-ruber.

26. ERINEUM *betulinum.*

E. caespitibus limitatis, floccis stipitatis infundibiliformibus margine erecto, interdum subbicornibus stipite cylindrico crassiusculo longo.

E. betulinum. *Schumach. saell.* 2. *p.* 445. *Rebent. ncomarch. p.* 396. *Fries obs. myc.* 1. *p.* 221. *Schl.*

Erin. p. 22. *Grevill. Erin. p.* 79. *t.* 3. *f.* 2. *Pers. myc.* 1. *p.* 6. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 149.

Rubigo betulina. *Link. Obs. I. p.* 20. *Mart. erl. p.* 349.

Habitat hypogenum in foliis Betulae albae in Germania. (*v. v.*)

Diagn. Caespites majores minoresve saepe valde dilatati in pagina inferiore foliorum, macula fuscescente in altera pagina opposita. Flocci stipite longo superne in infundibilum ampliato, interdum bicorni marginibus erectis saepe quoque inflexis. Color initio pallide virescens, tum fuscescens, tandem rufo-ferrugineus.

27. ERINEUM *luteolum.*

E. caespitibus limitatis tenuibus haud immersis, floccis primo luteolis, dein purpurascentibus, demum badiis irregulariter clavato cupulatis.

E. luteolum. *Fries obs. myc.* 2. *p.* 372. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 140.

E. negundineum. *Fries obs.* 1. *p.* 223.

E. acerinum. *Pers. myc.* 1. *p.* 6.

Habitat hypogenum in foliis Aceris opulifolii in Helvetia. (*v. s.*)

Diagn. Affine E. purpurascenti, at caespites minores minus immersi, et floccis magis irregularibus differt. Flocci modo breviter clavati sunt, modo cupuliformes aut scutelliformes, interdum infundibiliformes aut agariciformes.

28. ERINEUM *platanoideum.*

E. caespitibus latissime effusis tenuibus haud immersis, floccis primo pallidis tum intensius flavis, denique rubiginosis globoso-cyathiformibus cupulatisve stipite brevissimo.

E. platanoideum. *Fries obs.* 1. *p.* 224. *Kunze Myk. Hfte.* 2. *p.* 139.

E. curtum. *Greville Erin. p.* 50. *t.* 3. *f.* 14.

Habitat hypogenum in foliis Aceris plantanoidis in Europa. (*v. s.*)

Diagn. Distinguitur ab E. acerino caespitibus late effusis multo tenuioribus, stipite floccorum multo breviori. Color initio e luteo-albus, tum sensim intensius flavescens, tandem sordide rubiginosus.

29. ERINEUM *populinum.*

E. caespitibus limitatis conglomeratisve immersis, floccis stipitatis minutis scutellatis apice saepe subramosis erosis, primo flavescentibus, dein spadiceis, stipite brevi crasso.

E. populinum. *Pers. obs. myc.* 1. *p.* 100. *syn. p.* 700. *myc.* 1. *p.* 7. *Schum. saell.* 2. *p.* 446? *Alb. et Schw. nisk. p.* 371. *Schultz. starg. p.* 505. *Fries obs.* 1. *p.* 223. *De Cand. fr.* 6. *p.* 14. *Schlecht. Er. p.* 25. *Grevill. Erin. p.* 78. *t.* 3. *f.* 12. *Kunze Mykol. Hfte* 2. *p.* 147.

Rubigo populina. *Mart. erlang. p.* 348.

Habitat potissimum hypogenum nec non amphigenum in foliis Populi tremulae, et nigrae? in Europa. (*v. v.*)

Diagn. Caespites format parvos subrotundos immersos, ita ut a pagina aversa maculae saepe fuscescentes sat promineant. Color primum fusco-flavus, tum e rufofusco in sordide flavo-fuscum vergit. Flocci breves superne ampliati forma scutellae aut integri aut erosi lacinulative.

30. ERINEUM *Bucidae.*

E. caespitibus limitatis immersis, floccis densis fuscospadiceis capitellato-claviformibus subramosis.

E. Bucidae. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 148.

Habitat hypogenum in foliis Bucidae Buceratis Americae. *Schönew.*

Diagn. Caespites parvi rotundi s. oblongi profunde immersi. Flocci rigidi sordide fusco-spadicei diaphani haud opaci ut in E. populino (*Kunze*).

31. ERINEUM *alneum.*

E. caespitibus subeffusis saepe confluentibus cras-

siusculis subimmersis, floccis stipitatis primo ex albo flavescentibus, demum fulvo-ferrugineis simplicibus ramosisve, apice tuberculis pluribus capituliformibus, stipite tenui longiusculo.

E. alneum. *Pers. syn. p.* 701. *myc.* 1. *p.* 7. *Schum. saell.* 2. *p.* 475. *Rebent. neom. p.* 396. *Albert. et Schwein. nisk. p.* 371. *Schultz. starg. p.* 205. *Fries obs.* 1. *p.* 223. *De Cand. fr.* 2. *p.* 592. *Schlechr. Er. p.* 25. *Grevill. Erin. p.* 77. *t.* 2. *f.* 7. *Kze. Myk. Hfte* 2. *p.* 146.

Rubigo alnea. *Link Obs. I. p.* 22. *Nees fung. p.* 64. *f.* 63. *B. Mart. erlang. p.* 348.

Mucor ferrugineus. *Bull. herb. t.* 514. *f.* 12. *excl. syn.*

Hab. hypogenum in foliis Alni glutinosae Europae. (*v. v.*)

Diagn. Caespites subrotundi confluendo effusi. Flocci superne ampliati et in plura capitula divisi variae formae plus minusve coalita aut clausa aut vertice impresso aperta. Interdum floccus a basi ramosus est tum quoque stipites crassiores sunt. Flocci initio albi, mox flavescentes, tum rubentes, tandem ferruginei.

32. ERINEUM *fagineum.*

E. caespitibus limitatis immersis, floccis stipitatis clavato-pyriformibus albidis tum ferrugineo-spadiceis purpureisve plerisque non impressis, stipite brevi crassiusculo.

Var. 1. *Pallidum.*

E. caespitibus subrotundis ovalibusque, floccis albidis tum ferrugineo spadiceis.

E. fagineum. *Pers. obs. myc.* 2. *p.* 102. *syn. p.* 700. *Alb. et Schw. nisk. p.* 370. *Schultz starg. p.* 505. *De Cand fr.* 2. *p.* 592. *α.* *Enc. bot.* 8. *p.* 217. *α.* *Schl. Er. p.* 26. 27. *Grevill. Erin. p.* 80. *t.* 3. *f.* 70.

E. lacteum. *Fries obs. myc.* 2. *p.* 371.

Rubigo faginea. *Nees fung. p.* 64. *f.* 63. *Mart. erl. p.* 347.

Var. 2. *Purpureum.*

E. fagineum. *De Cand. fr. l. c. β.*

Hab. hypogenum in foliis Fagi sylvaticae in Europa. *Var. 2. in Fagi sylvaticae varietate sanguinea. (v. v.)*

Diagn. Caespites in pagina folii inferiore subrotundi aut elliptici inter nervos positi eos tamen attingentes saepe confluentes. Flocci colore initio fuscescentes aut albo in rubrum vergente, tum magis magisque fuscescente tandem sordide ferrugineo, raro impressione rotunda majore minoreque instructi. Var. 2. colorem purpureum exsiccatione non perdit.

33. ERINEUM *nervisequum.*

E. caespitibus linearibus nervisequis haud immersis, floccis clavatis pallide roseis.

E. nervisequum. *Kunze Mykol. Hfte 2. p.* 143. *exs. n.* 175. *Pers. myc.* 1. *p.* 7.

Habitat epigenum in foliis junioribus Fagi sylvaticae in Europa. *(v. v.)*

Diagn. Dignoscitur facile caespitibus nervisequis, et cum nervos laterales sequantur parallelis. Flocci recentes rosei, exsiccati sordide luvei, non ita densi.

34. ERINEUM *Pyracanthae.*

E. caespitibus effusis haud immersis, floccis purpureis subdifformibus capitatis.

E. Pyracanthae. *De Cand. fr.* 6. *p.* 13. *Pers. myc.* 1. *p.* 7.

Habitat hypogenum in foliis Mespili Pyracanthae in Gallia *(de Candolle).*

Diagn. Structura affine E. fagineo.

35. ERINEUM *Padi.*

E. caespitibus limitatis planis, floccis stipitatis clavatis apice impressis marginem versus constrictis, primum albido-griseis, dein croceo-ferrugineis, stipite brevi crasso.

E. Padi. *Rebent. berol. p.* 45. *Duval in Rohling Flor. germ.* 3. *p.* 357. *Albert. et Schwein. nisk.*

p. 371? (juniore statu?) Schlechtend. Erin. p. 23. Kunze Mykol. Hfte 2. p. 144.

E. padineum. *Fries obs. myc. 1. p. 222.*

Rubigo Padi. *Mart. erlang. p. 348.*

Habitat hypogenum in foliis Padi in Germania *et* Suecia. *(v. v.)*

Diagn. Caespites format subrotundos saepe confluentes crassiusculos sed planos in pagina aversa inter nervos maculae instar parum prominentes fuscescentes. Flocci impressione verticis rotunda.

36. ERINEUM *clandestinum.*

E. caespitibus sublinearibus effusisque confluentibus margine folii involuta obtectis, floccis brevibus ovatis subcapitatis clavatisque primo albo-roseis demum dilute ferrugineis.

E. clandestinum. *Grevill. Erin. p. 76. t. 2. f. 8.*

E. Oxyacanthae. *Pers. myc. 1. p. 7.*

Habitat hypogenum in foliis Crataegi Oxyacanthae Angliae, Helvetiae *et* Bohemiae.

Diagn. Caespites e colore albido rufo in ferrugineum inaequalem transeunt, qui obscurus est, si caespes in medio folii occurrit. Plerumque vero in margine convoluto ita absconditus est, ut aegre conspiciatur. Caespes in margine folii sublinearis, in medio effusus.

37. ERINEUM *purpurascens.*

E. caespitibus effusis, floccis infundibiliformibus ex albido in fuscum variis, margine erecto aut reflexo, stipite crasso brevi.

E. purpurascens. *Gaertner in Rohling Flor. Deutschlands 3. p. 357. Kunze Mykol. Hfte 2. p. 137.*

E. agariciforme. *Grevill. Erin. p. 80. t. 3. f. 14.*

E. acerinum. *Schumach. saell. 2. p. 445. Rebent. neom. p. 395. Schultz. starg. p. 505. De Cand. fr. 2. p. 73. Enc. bot. 8. p. 217. Fries obs. myc. 1. p. 222. Schlechtend. Erin. p. 24.*

Rubigo acerina. *Link Obs. I. p. 22. f. 36. Mart. erlang. p. 348.*

Habitat hypogenum in foliis vivis postea delapsis Aceris campestris et platanoidis, in Europa. *(v. v.)*

Diagn. Caespites format primo statu nervis primariis adhaerentes et in eorum angulis insedentes tum latius expansos planos vix immersos aversa pagina maculis fuscescentibus distinctos. Color initio flavo-virens aut albidus, tum magis fuscus ferrugineus et brunneus, saepe varius in eodem caespite. Flocci infundibiliformes, margine patulo erecto.

38. ERINEUM *effusum.*

E. caespitibus late effusis tenuibus haud immersis, primo pallide flavis, deinde erubescentibus, floccis densis clavato-capitellatis.

E. effusum. *Kunze Mykol. Hfte* 2. *p.* 141.

Habitat epigenum in foliis Aceris monspessulani in provincia littorali Austriae. *Hornschuch.*

Diagn. Caespites tenues e floccis densis compositi, late effusi ita ut saepe totam superficiem folii aut saltem totos lobos occupent, facie granulosa. Flocci clavati, clava saepe in capitellum coarctata, stipite tunc tenui. Interdum vertex depressus (Kunze).

39. ERINEUM *extentum.*

E. caespitibus linearibus conglomeratis seriatis convexis crassiusculis, floccis rufis, cupulis minutis vix distinctis.

E. extentum. *Achar. Fries obs.* 1. *p.* 204. *Schlecht. Erin. p.* 99. *Kunze Myk. Hfte* 2. *p.* 224.

Habitat hypogenum in foliis arboris novi generis in Guinea *(Afzelius).*

Not. Taphria et Cronartium Fries. huc relata genera ad alios pertinent ordines. Fumago Pers. myc. 1. *p.* 9. *in iis speciminibus, quae equidem vidi structuram organicam non exhibuit.*

WITTENBERGAE, TYPIS RUEBENERIANIS.

s.